

IUM.
od, aliquos
ingeniorum
& cura bo-
Professores
uoque ven-
ratione ho-
percellant,
conjunctis
Videmus,
integrum
huc pen-
nurozum
itaque,
inter se
ras candi-
illa moro-
tristiores,
ne Juris-
ecelle est.

FRANCISCI BALDUINI
DE
INSTITUTIONE
HISTORIÆ UNIVERSÆ
ET EJUS CUM JURISPRUDENTIA
CONJUNCTIONE,
ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΩΝ LIBRI II.

RAN.

FRANCISCI BALDINI
DE
INSTITUTIONE
HISTORIAE UNIVERSITATIS
SALONICAE
GYPHOBATAE
IN CALYDONIA LIBRI



PRIN

ANT

D

FR.



carer, tam
gitabam (ne
vel consueta
hil mecum
Sed cum in
mitas (comi



PRINCIPI OPTIMO,
ANTONIO BORBONIO,
REGI NAVARRO,
DUCI VINDOCINENSI, &c.
FR. BALDUINUS, S. D.



REGES sine aliquo munere non esse salutandos, vetus lex Persica monebat, Rex optime. Ego, quia cùm huc venirem, etsi majestati tuæ fausta omnia precarer, tamen de ea propitius salutanda non cogitabam (non enim tantum audaciæ vel natura vel consuetudo vel conditio mea mihi dat) nihil mecum attuli, quod tibi offerre cogitarem. Sed cum incredibilis tua humanitas atque comitas (comitas ista tua Regia amplitudine digna) occur-

occurrerit, & præter expectationem meam me appellans voluerit, te ut sæpius salutarem, statim qualescunque meis fortè sarcinulis schedas incluseram, excussi, si quod ex iis fortè in hoc aulico procinctu concinnare possem munusculum, non jam dico literatum, at literarium saltem (non enim aliæ facultates nostræ sunt) quod neque ingratum tibi esset, neque esset alienum abs studio antiquitatis, ex qua repetendum esse, quod nunc tanta contentione in Rep. quæritur, respondisse me fateor. Ergo quem unum habui libellum, profectiois fortè meæ comitem, in quo parvum operis cujusdam magni principium inclusi: quandam dico meam de institutione historiæ universæ inchoatam commentationem, tibi Rex offero, qualemcunque nunc possum meæ erga te observantiæ testificationem: testem etiam ejus instituti, quod in hisce studiis persequi non recusem, &, si tu jusseris, persequar. Vale, Parisiis Idibus Juliis.



MICHAEL.

NIC
F
E
tis
ler
Jur
nis Acader
sime Dom
nunquam
ad te refer
parallim
ea opuse
lignia, a
sem. Ju
tationem
qui ei satis
cisse videat
planè possi
nescio qu
arque adm
altius eam
humilis, atq
ellem: inter
trem, que
adolefcens ai

(*) Amid.



MICHAELI HOSPITALIO

GALLIÆ CANCELLARIO,

FR. BALDUINUS S. D.

Et si persæpe tua mihi perspecta benevolentia atque comitas sit, cùm de studiis Juris Civilis, quod in tuæ jurisdictionis Academia docebam, te consularem, amplissime Domine: tamen ego nunc te appellare nunquam ausus fuisset, nisi si causam, quam ad te refero, tuâ cognitione non indignam esse putassem: & magnam rem agi, magnoque in ea opus esse judice, in quo summa causæ intelligentia, auctoritasque summa inesset, existimasset. Juris Civilis ordinariam in scholis intertationem fateor rem talem, tantamque esse, ut qui ei satisfecerit, præclarum quippiam perfecisse videatur: neque multi, qui id præstare planè possint, doctores esse dicantur. Sed nescio quâ factum sit, ut Jurisprudentiæ amore atque admiratione incitatus semper optaverim aliùs eam attolli: neque vulgari & trita, quæ humilis, atque exilis esset, tractatione contentus essem: interdùmque etiam in hisce studiis sentirem, quod ille apud Poëtam (*) audax adolescens ait,

U

Fam.

(*) *Aeneid. Lib. IX. v. 186.*

nem meam
as salutare,
reimilis sehe-
x iis fore in
possem tu-
n, at liter-
rates nostre
set, neque
s, ex qua
intentione
or. Ergo
ionis for-
peris cu-
quandam
universa
ex offero
erga te ob-
etiam ejus
equi non
r. Vale,

HAE

*Famdudum aliquid invadere magnum
Mens agitat mibi, nec placida contenta quiete est.*

Ergo me continere non potui, quin ubi scholam, in qua mei Juris eram, nactus essem (etsi comparatum ad rem tam magnam fortasse auditorium non esset) aggressus sim ad eam Jurisprudentiæ, atque historiæ conjunctionem, quam necessariam esse duco ad civilium studiorum & dignitatem tuendam, & explicandam utilitatem. Atque ut ARISTOTELIS, cùm ἀπροματικά καὶ ἑξωτερικά (*) doceret, audieram olim duplicem fuisse περίπατον, ἑωθινὸν καὶ δειλινὸν, (**) ut Veteres loquebantur: sic cùm manè in auditorio Jus Civile docuissim, pomeridianam quandam historiæ universæ prælectionem institui. Sic enim convertendum esse putavi vetus illud.

His mane Edictum, post prandia Callirhoen do.

Nam etsi neque rei magnitudinem, neque conditionis meæ mediocritatem ignorarem, tamen voluntatem meam inflammavit rei præclaræ admiratio: neque hanc alacritatem, quam alebat ejus lectionis sive voluptas, sive utilitas, aut
ullus,

(*) Libros, qui dicendi causâ audiuntur, & commentationes, quæ ad res externas, & civiles spectant, nempe trivialia, & vulgata. vid. GELLIUS Lib. XX. Cap. 5.

(**) Disputationem Philosophicam, quæ fiebat inter ambulandum, matutinam, & pomeridianam.

ullus labor fatigare, aut quorundam iniqua, ingrataque judicia infringere potuerunt. Quam alii *Callirhoen* pomeridianam dent suis auditoribus, ipsi viderint: ego quam meis dare volui, eam mirabiles amores excitare suū, cūmque ea ipsum Edictum matutinum multò amabilius esse sensi; tantòque propterea magis, quam horum studiorum conjunctionem institueram, etsi multæ me difficultates distraherent, ut persequerer, animum obfirmavi. Nam & ex ea novos veluti spiritus ipsa mihi Jurisprudencia concipere visa est. Neque verò, quod semel in hoc genere tentavi, tam malè iucessit, quin ad id eadem rursus viâ aggredi, etiamnum cupiam: neque desperem absolvi non longo tempore posse talem prælectionem. Quid multis? Quid Reipublicæ causa in hisce studiis velim, vides: quæque sit hujus nostri instituti ratio tota, ex hisce proce-
miis, quæ ad te mitto (etsi humiliora hæc quidem sint, quàm ut ad ea cognoscenda amplitudini tuæ descendendum sit) æstimare poteris. Sed si quod optamus, abs Jurisprudenciæ dignitate non esse alienum statueris, ego te appellabo (quem enim, cūm hanc causam ago, potiùs appellarem?) ut, licèt facere non possim, quod fieri debere dico, tamen, ab aliis, qui possunt, ut id fiat, imperare velis, præsertim cūm jam eo togatæ Galliæ studia præclara ultro propendeant: in cujus demum veluti theatro cum aliquo splendore explicari res

ea possit. Tua modò auctoritas necessaria est: quam minimè defuturam esse confido, ut quam olim Athenis scholam instituerat MNE-SIPHILUS THEMISTOCLIS præceptor, qui & in ea successorem habuit SOLONEM, aliquando Gallia instauret: quæque disciplina multum tibi debet, plurimum etiam debeat: & quæ per te salva est, sit etiam ornata: illa (inquam) civilis disciplina, & tuis erga se, & suis erga te meritis, atque beneficiis devinctissima: quæ nunc suum in te summum decus tam illustri & excelso positum in loco etiam admiratur: nihilque jam propterea, quod humile sit, spirat. Scis non esse satis, quòd eam abs barbarie liberaveris (etsi maximum hoc quidem beneficium sit.) Altiùs attollendam ejus magnitudinem: cumulandam etiam & exaggerandam ejus gloriam esse vides. Denique vides, quid illa postulet, ut ex ejus schola deinceps non prodeant oratores novi, stulti, adolescentuli, qui Rempublicam citò perdant, ut est in veteri carmine. Imò verò ut illa det Senatores, quales nunc Reipublicæ status, & deliberationum, consiliorum, judiciorumque difficilis hoc tempore conditio requirit: quales (inquam) multos hisce diebus in amplissimo & nobilissimo Senatu, cui præeras, cum de re omnium rerum maximâ quæreretur, sententiam abs te rogatos sapientissimè ex antiquitatis memoriâ dixisse, accepimus: cum quidem etiam iis præiret pietas & sapientia
tua,

tua, quæ in hac rerum temporumque per-
 turbatione, quid factum sit opus, exemplo in-
 de repetito rectè monet, & veluti ad clavum
 sedens in hac tanta tempestate, tale Veterum
 consilium advocat, cum operam dat, ne quid
 Republica detrimenti capiat. Itaque & quam
 tu hac ratione iniisti viam moderationis, omnes
 sapientes, qui tuis vestigiis lubenter insunt,
 ingredientur, ut pedibus in tuam eant sen-
 tentiam: in qua Jurisprudentiæ non jam di-
 cam salutare sydus, sed divinum quoddam
 numen agnoscunt & admirantur: neque bo-
 nos unquam pœnitebit (fremat licet quorun-
 dam intemperies) eodem exemplo recta de-
 disse consilia pacis & consensionis repetiisse &
 proposuisse CONSTANTINI in Niceno, & THEO-
 DOSII in Constantinopolitano concilio æquissi-
 mam conditionem: & vel in unius THEODOSII
 ætate atque Imperio ostendisse, quod nostri
 temporis causa cautum, & comparatum esse
 videatur. Denique laudasse bonæ Antiquita-
 tis memoriam, & respondisse, ex ea esse re-
 petendam quæstionum, quæ orbem nostrum
 concutiunt, bene temperatam definitionem,
 eorumque grassantium justam, & abs sævitia
 tamen, vel sanguine alienam, coërcitionem.
 Scio nunquam majori de re in hoc maximo
 Regno institutam esse deliberationem. Sed
 tantò magis gaudeo, nunc oblatam esse occa-
 sionem explicandæ utilitatis earum literarum,
 quarum studia commendo. Scio etiam (quod

quidem sæpe aliàs, sed hoc tempore maximè expertus sum) fieri vix posse, quin qui abs factionibus partium alienus, ex consilio Antiquitatis temperanter sentiet & loquetur ea de re, de qua nunc quæritur, sentiat in tuenda recta sententia plurimum esse negotii, & multis vtrimque calumniis (quando enim his obnoxii non fuerunt rectè sentientes?) variè vexetur! Sed ea demum vera virtus est, quam vel ingratorum hominum malitia infringere, vel perfidiosorum fraus atque injuria debilitare non potest. Certè viri boni & sapientis animum & conscientiam bonam, multis constantiæ exemplis historia obfirmabit. Parisiis, Ibid. Juliis.



DE

rores,
ces qu
non ea
stros in
nostra
nobis t
fi ocul
quas &
& hic t
chand
offert, a
tes, sed
dine rec
sideranda
magni ol



DE INSTITUTIONE
 HISTORIÆ UNIVERSÆ,
 ET EJUS CUM JURISPRUDENTIA
 CONJUNCTIONE
 ΠΡΟΛΟΓΟΜΕΝΩΝ LIBER I.

§. I.

Conditi à DEO sumus & collocati in hoc mundo, tanquam in amplissimo quodam amphitheatro, primùm ut spectatores, deinde ut actores, atque etiam ut iudices quodammodo simus. Spectatores dico, non earum modò rerum, quæ in oculos nostros incurrunt: sed & earum, quas memoria nostra comprehendit, & jam olim præteritas nobis tanquam præsentis sistit, non possumus, si oculos habemus, non spectare res naturales: quas & orbium cælestium assidua conversio, & hic telluris globus immobilis quotidie spectandas, contuendâsque nobis, vel invitis, offert, admirabili quidem varietate differentes, sed constanti tamen & perpetua vicissitudine recurrentes: quarum quidem certè considerandarum causâ natos etiam homines esse magni olim Philosophi dixerunt. Sed hæc

(ut vocatur) *ἱστορία* (*), quæ & historia naturalis appellatur (ut rerum physicarum scientiam PLATO (**)) vocat historiam) ejus, de quo nunc loquor, amphitheatri admirabilem modò structuram, amplitudinem, ornatum, & (ut uno verbo dicam) mundum sive *κόσμον* ostendit, res verò, quarum causa illud conditum est, & quæ in eo, atque in hac vita, inter homines aguntur, geruntur, fiunt, res dico humanas, & conjunctas cum humanis divinas, quæ sunt veluti actiones in illa scena jam inde ab orbe condito inchoatæ, & ad ætatem usque nostram perductæ, illà demum, de quâ loqui instituo, historia, intelligentiæ, memoriæ, animisque nostris contemplandas, tanquam in tabula pictas, proponit: quo magis (ut ait enim CICERONIS in *Bruto* (***)) verbis) explicatis ordinibus temporum, uno in conspectu omnia videamus, duo itaque genera rerum cùm sint, naturalium quæ semel conditæ sunt, & humanarum, quæ quot vel diebus vel annis sunt actæ: de his potius, quàm de illis, nunc quærimus. Naturalem (ut vocant) historiam fateor dignissimam esse, cui operam demus, ut cæli (si ita loqui licet) œconomiam, Solis, Lunæ, stellarum, planetarumque motus, & naturam, & eorum, quæ sub Luna in aëre fiunt, conditionem, animalium deinde, quadrupedum, avium, piscium, stirpium,

(*) Theoria.

(**) In *Phædone*.

(***) *Cap. 4.*

stirpium, metallorum, & aliarum rerum, quas vel terra, vel aqua gignit, alitve, vim consideremus: postremò quod de animo, corporeque hominis cognoscendum est, non ignoremus, magna fateor & admirabilia esse illa. Non enim HORTENSIVM audio, qui aliquando apud CICERONEM cum historiam laudare vellet, philosophiam naturalem vituperavit. Sed ut hanc laudandam esse dico, sic ad illam potius nunc me & aggredi profiteor, & magis incitari majorique admiratione impelli sentio. Nam & quantum homo excellit quicquid in hoc orbe conditum est: tantò sunt res humanæ cum suis consiliis, judiciis, eventibus excellentiores: quantumque ratio, & intelligentia res aut bruta aut inanimes superat; tantò sunt humanæ supra naturales. Audio equidem t ecquò Africanus suum SCIPIONEM in illo sapientissimo somnio revocet: Sentio quanta res sit, contueri maxima illa templa, tot orbibus, globisque connexa, quorum (ut ille ait) cælestis extimus, qui reliquos omnes complectitur, celeritate incredibili volvitur, secumque rapit & rotat alios sibi subjectos, magna (iterum dico) res est, cum intelligentiâ spectare vim & cursum Solis, qui versatur retrò contrario motu, atque cælum, Terra, cujus magnitudo, si cum majoribus illis orbibus comparetur, nulla esse dicitur, nullam fortasse talem si nuda spectetur, admirationem ciet. Sed res, quas in ea DEUS, qui supra omnes cælos est, tot jam sæculis agit, nonne multò majorem commo-

vere debent? Quæ supra Lunam toto cælo spectamus, pura omnino & serena & nunquam turbata, statas certasque vices, & admirabilem cum earum conversionem, tum conversionis ordinem, atque adeo perpetuam quandam habent suam harmoniam, inanimata licet illa omnia alioqui sint, quæ infra Lunam in aëre sunt aut fiunt, miscent ventos, nubes, imbres, fulmina, tonitrua, cometas: deinde avium & volucrum veluti motoriam habent fabulam. Tertia & infima universi pars est hic globus terræ. Sed sit licet immobilis, tamen earum, quas dixi in ea geri, moverique, rerum, quàm est admirabilis (ut POLYBII verbo utar) ἀνακύκλωσις (*)? Certè vetus est, quòd dixit olim scripsitque CORNELIUS TACITUS (**), rebus cunctis inesse videri quendam veluti orbem, & quemadmodum temporum vices, ita & morum verti, ac inepti quidem nimium illi fuerunt, qui cælum stare, terram volvi finxerunt. Sed ut ridiculum hoc somnium est, sic cum historiam volvimus, non minus terræ varium & volubilem motum, quàm cæli stabilem ac constantem (ut ita dicam) statum agnoscere cogimur: verumque esse experimur, quod PLATO & ARISTOTELES dixerunt, naturales quoque esse Rerumpublicarum conversiones. Admirabile itaque (ut dixi jam sæpe) etsi mutum atque vacuum foret, est hoc mundi amphitheatrum, in quo

ralis

(*) Revolutio.

(**) *Annal. lib. III. cap. 55.*

talis tantusque veluti circus est. Sed multò
 magis illi, qui in eo spectantur (si ita loqui
 fas est) ludi me rapiunt & permovent. *Feli-
 ces animæ* (inquit verus Poëta) *quibus hæc cog-
 noscere primum, Inque domos superas scandere,
 cura fuit.* Sed sunt & illi tẽrque quaterque
 beati, qui descendunt in hanc (ut ita loquar)
 arenam inferiorem, ut cognoscant quæ hĩc
 gesta sunt, vel geruntur ab hominibus, quo-
 rum etiam causa superiora illa condita sunt.
 Magnæ profectò & præclaræ sunt hæ duæ ve-
 luti academiæ. Ac quidem cùm illa nos su-
 periorum rerum theoria tener abs hominum
 colluvione avocatos atque secretos, magis no-
 bis versari videmur in vestibulo sempiterni
 cælestisque illius domicilii, in quo DEI con-
 suetudine propius aliquando fruemur, vult-
 que DEUS in eo tanquam limine nos majori
 quadam expectatione suspensos, interea dum
 hanc vitam vivimus, hæere, ut olim popu-
 lum suum in atrio ante fores templi consistere
 voluit. Sed quæ aguntur in hujus, in quo vi-
 vimus, atrii infimâ caveâ, magis atque magis
 contuenda sunt. Nam & hĩc non minùs quàm
 illic, rerum divinarum sensu atque admiratio-
 ne, si cæci, stupidique non sumus, perfunde-
 mur. Imò verò DEUS hĩc interest & agit
 multò magis. Si animalium, avium, quadru-
 pedum, piscium naturam atque historiam con-
 sideremus, magna (fateor) miracula nobis oc-
 currunt. Sed nobiliorum animalium, hoc est,
 hominum longè alia, admirabiliórque historia
 est.

est. Habent & illa bruta, suas veluti Respublicas, suos mores, suum ordinem, suam denique œconomiam. Sed inepti essemus, & illorum prope similes, si iis potius, quàm hominibus cognoscendis affixi simus. Quidam fortasse humanarum confusionum, ac fraudum odio malent ea, quæ in rerum natura minus corrupta videntur, suaviter contueri in aliquo tranquillo secessu: & propterea desertam solitudinem prætulert civitatum societati. Ego verò etsi lubenter quoque fugero turbulentos hominum cætus, tamen homine indignam esse existimo rerum humanarum ignorationem. Et verò historia in reducto etiam successu nobis earum cognitionem & memoriam placidè sistit. Sunt certè in hominum, ut aliorum animalium genere tetra veluti monstra, & multi eorum vasti, confusique cætus occurrent, non jam dico simiarum, sed ferarum agminibus & immanium belluarum gregibus perfimiles, qui & majorem olim orbis partem occuparunt, & adhuc possident. Sed sunt etiam, fueruntque semper vel regna & Respublicæ, vel familiæ, in quibus aliquod literarum, humanitatis, juris & ordinis semper fuit domicilium, neque non omnibus sæculis habuit DEUS in hoc globo telluris aliquam regni quoque sui sedem, & suæ cum hominibus consuetudinis testificationem.

§. II.

PLATO aliquando scripsit, quod & Poëta CLAUDIANUS elaboratis versibus eleganter expressit,

pressit,
convin
Mundi
quam
rum c
aspicir
vident
Etimus
vol/viqu
versus,
professo
philosof
nam sunt
intra, te
sicta esse
dit in m
batione
regentis
sacris sa
summun
dam luma
res non
caligare
quasdam
amittere,
vare, &
nonnullos
giosos: &
ejusque p
dorum Sic
Sed caeca e
tia est alie

pressit, ordine quidem motuum cælestium convinci animos, ut sentiant DEUM esse hujus Mundi gubernatorem: sed hunc sensum tanquam procellis obrui, cum rerum humanarum confusionem intuemur. Sic cum cælum aspiciamus, agnoscere nos facile divinam providentiam. Sed cum ad terram oculos refleximus, cæco & fortuito casu omnia ferri volvique videri. Non recitabo CLAUDIANI versus, qui sunt magis intemperantes, sed profecto non minus obstupuit desipuitque alter philosophus, qui ea quidem, quæ supra Lunam sunt, certo DEI consilio regi: quæ verò infra, temere raptari & fortunæ ludibrio relicta esse, dixit. Verùm bene habet: Nos, ut in media etiam rerum humanarum perturbatione agnoscamus DEI omnia certa ratione regentis admirabilem providentiam, literis sacris satis præmoniti sumus. Estque hoc summum ad historiam rectè considerandam lumen. Verùm cum id olim alii scriptores non viderent, non potuerunt non sæpe caligare atque obstupescere: & in tenebras quasdam Epicuræas tandem ruere: planèque amittere, quod & in historia imprimis observare, & ex ea percipere debebant. Fateor nonnullos in sua ignoratione magis esse religiosos: & quod alii fortunæ adscribunt, DEO, ejusque providentiæ ascribere. Quod DIODORUM SICULUM sæpe facere animadverti. Sed cæca est ea quæ abs religionis veræ scientia est aliena demonstratio. Atque hic quidem,

dem, ut poëtam poëtæ objiciam, VIRGILII (*)
versus recitarem, quibus Dea nescio quæ,
suum *Aenëam* in excidio Trojano frementem,
jubet acutiùs ἰσορεῖν.

*Aspice (nanque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi, & humida circum
Caligat, nubem eripiam)*

Hic, ubi disiectas moles, avulsâque saxis

Saxa vides, mistoque undantem pulvere fumum,

Neptunus muros, magnoque emota tridenti

Fundamenta quatit, totâmq; à sedibus urbem

Eruit &c.

Sed injustè facit, quod *Paridis* atque *Helenæ*
adulterium non esse culpandum propterea præ-
fatur: & accusat inclementiam Divûm, ubi agno-
scere debuit justam DEI providentiam. Inter-
ea miror profanum poëtam utcunque videre,
nostros oculos altius attollendos esse, & ali-
quod eos lumen divinum requirere debere,
ut, ubi etiam cælum terræ misceri videbitur,
cæcam & confusam non esse vim fortunæ, vel,
ut Jurisconsulti vocant, *θεοῦ βία* (**) memi-
nerimus. Nam & cùm nubes videmus &
tonitrua audimus, tamen cælo superiori suam
nihilominus constare serenitatem scimus. Et
verò nunquam ea erit, esse quæ debet, maje-
stas historiæ, neque tam valde nos, quam de-
bet,

(*) *Aeneid. Lib. II. v. 604.*

(**) Injuriam Deo Violenter illatum.

bet, afficiet, nisi si in hoc theatro ad summum illum supremumque veluti choragum respiciamus. Equidem soleo dicere, DEUM primis seculis, in unius sui populi Judaici gubernatione familiarem & expressam & prope aspectabilem edidisse effigiem praesentis suae atque assiduae moderationis. Licet autem ille interea haerere in una Republica, neque praeterea aut curare aut respicere reliquum genus humanum forte videatur: tamen quod in una parte cernimus, illud etiam superesse in toto atque in universo, cogitare debemus. Non enim ille DEUS est aliquod Homericum numen. Saltem quod dico, utcumque agnosceamus, si universitatis historiam recte & sapienter perlustraverimus, in eaque etiam, ut debemus, perpetuam ecclesiae atque religionis conditionem ejusque statum observaverimus. Non enim praeterire debemus, quam in primis observare oportet illam praecipuam ut humanae societatis, sic & historici corporis partem: ne non caput modo, sed & cor & animam negligere videamur. Ergo cum de historia loquor, de integra & perfecta loquor: in qua dico divinae providentiae rationem habendam esse, ut recte spectemus res in orbe terrarum maximas, & quidem divinas cum humanis admirabili ordine atque ratione commixtas. Quod ut faciamus, danda opera est, ut quam valde olim Christiani Theatro circoque Romano sibi interdictum esse sentiebant, tam ad illa, de quibus nunc ago, historica spectata-

spectacula contendendum nobis esse, meminerimus, ut etiam, si fieri possit, in quatuordecim ordinibus primis (ut ita dicam) sedeamus. Non enim ulla *lex Roscia* (*) quenkquam submoveret: ac ne obstat quidem, quò minùs ex ipsa, si libet, cavea spectemus. Neque verò hic mihi aliquis vel somniet vel objiciat furiosum aliquem Horatianum, qui sibi videatur vacuo in theatro miros audire tragædos. Nam spectacula de quibus loquor, minimè sunt ægri somnia. Oculis quidem ea non cernimus: at certè cernimus animo & memoria; & ita cernimus, ut tam insanum esse aliquem vix putem, qui iis ullius Theatri ludum ullum anteponat. Admirabilis fuisse dicitur ædilitas *Lucullorum* fratrum, *Lucii & Marci*, qui scenam, quam *Claudius Pulcher* veritate colorum adumbraverat, argento *C. Antonius*, auro *Peterejus*, ebore *Catulus*, versatilem fecerunt, ut ait VALERIUS. Neque dubito quin & admirabiles in ea ludos ediderint. Sed sapientes, hujus *L. Luculli* bibliothecam & historias lubentiùs versabant. Certè, ut plusquam furiosus fuisset, qui talem scenam magis esset admiratus, quàm sphaeras cœlestes tellurisque globum: sic fuisset amentissimus, qui quod in illa scena ludendo agebatur, pluris aestimasset, quàm quod in orbe Romano gestum seriò esset atque gerebatur. Audio quod PLINIUS (**)

comme-

(*) vid. AUGUSTINUS *de Legib. & Senatus*,
cons. leg. Roscia.

(**) *Lib. XXXVI. Cap. 15.*

commemorat, abs *C. Curione* aliquando ex-
 tractum fuisse versatile, mobiléque amphithea-
 trum, admirabilis cujusdam insanix specimen
 magnum. Audióque, eum propterea veluti
 attonitum exclamare: Super omnia populi fu-
 ror, sedere ausi tam infida, instabilique sede.
 En hic est ille terrarum victor & totius domi-
 tor orbis, in machina pendens & ad periculum
 suum plaudens. Ecce populus Romanus uni-
 versus, veluti duobus navigiis impositus, binis
 cardinibus sustinetur, periturus momento ali-
 quo luxatis machinis &c. Equidem & ipse
 cogor admirari ejus machinæ, tanquam arti-
 ficiosi orbis cujusdam, molem versatilem.
 Sed quid ad illum orbem, in quo historia vo-
 luitur? Populi verò stuporem, multò magis
 mirabimur, si, quàm esset inane spectaculum,
 quod tanto & labore, & periculo redimebat,
 meminerimus: Fuerint sanè multa paria gla-
 diatorum, multæ feræ Africanæ, multi cum
 iis depugnantes venatores: histriones præte-
 rea, & ludiones scenici: adde, si vis, currus,
 quadrigas, aurigarum factiones: quid tamen
 ea tota erat fabula? quid tota pompa Circen-
 sis? Nam etsi in eam quoque arenam descen-
 derint, ipso populo spectante, etiam stultiores
 Imperatores maximi, & currus in Circo agi-
 taverint, & quicquid humana luxuria profusè
 fingere potuit, ediderint: tamen an fuit aliquid
 cum historiæ pompa comparandum? Fateor,
 non temere olim urbem Romam dictam esse

ἐπιτομὴν τῆς οἰκουμένης: (*) quòd in ea summatim concludi diceretur, quicquid in orbe terrarum erat magnum & excellens. Sed longè aliam profectò οἰκουμένην (**) epitomen historia includit atque patefacit? Ergo & ludis commissis sapientes Senatores olim, urbe relictâ, rus secedebant, & eo ipso tempore, quo Curio Romæ volvebat illos suos (ut verbo VICTRUVII (***) utar) cardinales scapos, CICERO, CATO & similes, excurrebant in suas villas, ut longè aliis spectaculis utiliter sese oblectarent, hoc est, toti essent in legendis historiis, quarum vel libros circumferebant, vel instructum fundum ruri habebant. Neque unquam minùs aut solos, aut ociosos se esse dicebant, quàm cum ita & soli & ociosi essent, & in suis bibliothecis, quas quidem omnibus Theatris longè anteponebant, sese incluserant, atque abdiderant. CATO quidem certè aliquando Theatrum Romanum est ingressus: sed egressus tam & citò & lubenter est, ut etiam diceretur, venisse, ut exiret. Cæterum CICERO (****) narrat sese eum, ludis commissis, invenisse in agro, in Bibliotheca *Luculli* multis libris circumfusum, quorum tam insatiabilis helluo & esse dicebatur, & erat, ut ab iis vix aliquando abduci posset. Et quis etiamnum amphitheatro TITI non prætulit Plinianos historiae naturalis

(*) Epitomen totius Mundi.

(**) Universalem.

(***) *Lib. IV. Cap. 6.*

(****) *De Fin. Lib. III. Cap. 2.*

turalis libros, TITO inscriptos? Ipse vero PLINIUS iis alios suos historiarum sui temporis libros etiam antetulisse videtur. Quid moror? Jurisconsulti (*) ajunt, eum edicto Prætoris de servo corrupto teneri, qui servo persuaserit, ut in spectaculis nimius sit. Ego verò si minus persuadere possum omnibus, saltem studiosis meis æqualibus auctor ero, ut si bene, & liberaliter institui velint, in historiæ ludo sint φιλοθεωροί, (**) in eoque propterea diu immorentur: neque nimium esse putent, quod nunquam est satis. Fieri quidem certè non potest, quin & in hoc Historico (sic enim sæpius loqui cogor) circo quidam & impudici, & gladiatorii ludi occurrant, & tragica ejus generis dramata nostris sive oculis, sive animis objiciant multa persæpe etiam horrenda. Nam & omnibus sæculis hominum monstra & portentosa multa fuerunt, quorum scelera DEUS conspici voluit. Sed ut olim Lacedæmonii (utitur enim & hac similitudine, cum idem, quod volo, dicere vult PLUTARCHUS in *Demet.*) suis etiam pueris spectandos proponebant ebrios helotas, quò magis ingenui animi obhorrent, atque deterrerentur à temulentia, cujus turpitudinem conspexissent: sic & nos historiis aliquando uti oportet, ut, etsi castos oculos à sceleris spectaculo statim avertamus, tamen animos ad cogitationes in ejus detesta-

X 2

tione

(*) L. i. §. 5. π. de serv. corrupt.

(**) Spectaculorum amantes.

tione bonas, atque honestas convertamus: ut & olim ille Nigrinus sapiens philosophus apud LUCIANUM dixit, propterea se Romæ vivere, & in ea urbe tanquam in theatro *μυριανδρῶν* (*) sedere.

§. III.

Erit tamen historia tam pudens & sobria, si rectè tractetur, ut sit etiam casta: neque aut oculos pudicos aut aures offenderet. Imitabitur enim scenam potius Massiliensem, quàm Romanam. Sed neque temerè in SVETONIO reprehensa est nimia illa in Principum flagitiis exponendis mora: quia, quæ vitia tam diligenter narrat, etiam docere videatur. Neque verò dissimulo, in hominum actionibus, rebúsque gestis, quas exhibet historia, multa semper esse tam misera, & ridicula, ut, si in hoc orbe spectator sederet aliquis hinc *Democritus*, illinc *Heraclitus*, nunquam vel illi, quod rideret, vel huic, quòd desleret, defuturum sit. Sed sit licet risu, lachrymisque digna hominum vanitas, & in hac sæpe arena degeneres histriones non solum tristes ludos, sed & magnas dent turbas: tamen elucet in ea rerum caligine admirabilis DEI gubernatio, qui & per homines aliud agentes, agit aliquid, quòd admirari & suspicere, & propè adorare debeamus. Undique enim in hoc mundo, atque in iis, quæ in eo fiunt, explicat multiplicem suam sapientiam, bonitatem, potentiam: suam (inquam) illam infinitam

(*) A mille viris occupato.

tam divinitatem in rebus humanis exerit. Hic ego me vocari sentio ad historiam laudandam. Sed neque id facere possum, quantum vellem, & debeo, neque tamen planè possum negligere. Scio, & memini, maximos quosque, & nobilissimos historicos primas suorum commentariorum paginas in historiæ laude, & commendatione consumere, sed dicant illi licèt, quod in eâ maximum, & utilissimum esse putant, & lectorem sapienter præmoneant, an, quod est summum, ac præcipuum, prædicant satis? Si quis est, qui cordatus inter eos, & sine inani jactatione fuit, fuit LIVIUS, solètque is esse nostris propter res Romanas, & linguam Latinam magis familiaris. Quale verò est ejus præmium? Qualis præmonitio? *Ad illa (inquit) mihi pro se quisque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint: per quos viros, quibusque artibus, domi, militiaeque & partum, & auctum imperium sit. Labente deinde paulatim disciplinâ, velut dissidentes primò mores sequatur animo: deinde, ut magis magisque lapsi sint, tum ire cæperint præcipites, donec ad hæc tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, perventum est. Hoc illud est præcipuè in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intuevi: inde tibi, tuæque reipublicæ, quod imitere, capias: inde fædum inceptu, fædum exitu, quod vites.* Gravis profectò est, & Romano scriptore digna hæc præfatio: & historiam Romanam lecturo utilis atque necessaria cautio est. Sed quàm tenuis

tamen est hæc historiæ commendatio, si quid prætereà illius amplitudo, & dignitas mereatur, consideremus? Quid igitur? Feret æquo animo LIVIUS, si dicam POLYBIUM, quem sequi, & imitari solet, magis hoc indicasse silendo. Ait eam omnium historicorum præfationem, atque adeò conclusionem esse solere, ut historiæ laudes decantent. Sed quò magis hoc alii fecerunt, tantò minus sibi necesse videri, ut idem faciat: proptereaque se laudibus illis, quæ fati pervulgatæ sunt, præteritis, in rem potius præsentem venire statim velle. Neque dissimilis est SALUSTII, qui alter velut POLYBIUS est, oratio. Cum enim dixisset, ex iis negotiis, quæ ingenio exercentur, in primis magno usui esse memoriam rerum gestarum, ejus (inquit) de virtute, quia multi dixere, prætereundam puto. Equidem etsi laudandæ historiæ causas & plures, & majores, & meliores fortasse habeam, quàm illi habuerint, tamen non invitus nunc eadem uterer excusatione. Sed si paucis verbis, quod dici de ea maximè potest, & vulgò dici solet, nunc dicendum esset, dicerem, quod CICERO (*) gravissimè, atque verissimè pronunciat. *Historia (inquit) vestis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis.* Nihil dici majus, nihil elegantius, nihil verius potest. Unum tantùm verbum adjiciam, sed quo verbo multa complectar: dico, hanc unam demum esse viam, & rationem, quæ
evadere

(*) de Orator. Lib. II. Cap. 9.

evadere possimus ad illam rerum divinarum, humanarumque cognitionem, quæ nostros animos altè sublatos in excelsa quadam veluti specula collocare possit, ex qua circumspiciamus, quicquid in orbe terrarum jam indè, ex quo ille est conditus, gestum est, quod quidem sit dignum animadversione, memoriæque nostra. Tales enim Episcopos historia efficit: ut LUCIANUS scitè describit suos (ut vocat) *ἐπισκοπῆντας* (*) fingens, Mercurium Charonti ex altissimo quodam monte universam rerum humanarum scenam, & fabulam ostentare: ut jam mihi in mentem veniat, quod noster HIERONYMUS *ad Heliodorum* deplorans sui temporis tragicam faciem, *o si possemus* (inquit) *in talem ascendere speculam, de qua universam terram sub nostris pedibus cerneveremus. Jam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, & regnis regna collisa, alios torqueri, alios cæcari, alios absorberi fluctibus, alios ad servitutem trahi; hic nuptias, ibi planctum: illos nasci, istos mori, alios effluere delitiis, alios mendicare &c.* Atqui historia non solum nos altiùs tollit, sed & nobis multò plura, majoraque ostendit, ut non modò, quod ille audit, videtque apud CICERONEM *in suo somnio* SCIPIO in lacteum circulum sublatus, & terram iafra se positam despiciens, vigilantes audiamus: verùm etiam singula longiùs, liquidiùsque prospiciamus: neque solum præsentia, sed & præterita, at-

(*) *Intendentes.*

que adeò quædam futura, quantumvis diffusa longissimè sint, teneamus.

§. IV.

Et qualem tandem putaremus illum hominem esse, si quem DEUS ab orbe condito vivere ad hunc usque diem voluisset, eumque in eo loco statuisset, ex quo universalitatem hujus mundi contemplatus esset, eique cum visum vim judicii, & memoriam tot, tantarumque rerum capacem dedisset? Nonne hominem talem DEUM, aliquem propè esse putaremus? Quàm beatum Regem esse illum diceremus, qui omnibus illis sæculis imperasset, ita, ut ad eum in folio suo sedentem quot diebus undique nuntii confluerent, & de omnibus maximis rebus, quæ diversis in locis gererentur, bonâ fide referrent? Atqui posset historia utrumque, quod dixi, præstare, & nos eâ ratione multò beatiores efficere, si ea sit, esse quæ debet: ut jam tantò magis illius, non dico, ut multi, lumen, sed sicuti PLINIUS ait, numen colere debeamus. Quid? Solem, qui ab orbe condito orbem terrarum ambiendo luce perfundit, *ἰσοπέδῳ* (*) quidam olim dixerunt. Quid si jam dicerem, historiam collocare homines veluti in globo Solis? Non vereor, ne superstitio me transversum agat. Dicam itaque, divam (liceat nunc ita loqui) historiam templo etiam quodam esse dignam, & verâ rerum sive scripturâ, sive sculpturâ esse

quo-

(*) Enarrare.

quoque
mum
rent.

vium
prælii
vicera
L. Scip
Capito
qui prin
expugna
& ipsum
enarrasse.

Sed
de Partib
S. P. Q.
nas, atq
HERODI
ram, qu
pulum re
eus templ
nullam ac
ram, tam
illud tem
truebat, f
ut in eo
Iliacas
Bellaque

(*) L. XX
(**) Lib.
(***) An

quoque colendam : quemadmodum & primum inventæ sunt hæ artes, ut illi subservirent. Memini PLINIUM (*) narrare *M. Valerium Maximum* Massalam tabulam picturæ prælii, quo Carthaginenses, & *Hieronem* in Sicilia vicerat, proposuisse in latere Curiaë Hostiliaë ; *L. Scipionem* tabulam victoriæ suæ Asiaticæ in Capitolio posuisse : *L. Hostilium Mancinum*, qui primus Carthaginem irruerat, situm ejus, expugnationesque depictas proposuisse in foro, & ipsum assistentem, populo spectanti, singula enarrasse.

§. V.

Sed & Imperatorem SEPTIMIUM SEVERUM de Parthica sua victoria, non solum literas ad S. P. Q. R. sed & depictas in tabulis suas pugnas, atque triumphos expressos misisse, testis est HERODIANUS. (**) Quid dicam, ipsam picturam, quò magis in historia quoque civili populum retineret, olim etiam occupasse porticus templorum ? Certè licet PLINIUS affirmet, nullam adhuc Iliacis temporibus fuisse picturam, tamen sapientissimus poëta (***) primum illud templum Carthaginense, quod *Dido* extruebat, fingit, & proponit, ita fuisse depictum, ut in eo *Aeneas* videat

Iliacas ex ordine pugnas,

Bellâque jam famâ totum vulgata per orbem.

X 5

Neque

(*) L. XXXV. Cap. 4.

(**) Lib. III. Sect. 3.

(***) *Aeneid.* Lib. I. v. 460.

Neque tamen, ut ille animum pictura pascit inani, multa gemens, nos ex historia vanam aliquam tantum oblectationem captamus: neque eam admiramur, ut pueri Junonis avem. Verum haec, ut alius quidam vir magis olim dixit, magistram vitae, non aures modò nostras circumsonantem, sed etiam in oculos incurrentem, profitemur esse vitam, atque lucem animorum nostrorum: & ad eos magis atque magis permovendos expressa cum literis lineamenta rerum maximarum lubenter viderim, si modò fabula, quæ ab historia imprimis abesse debet, absit à pictura: neque pro imaginibus, aut iconibus, spectra, aut idola objiciat. Tantò autem magis tale subsidium desiderarem, quod non modò, ut alter poëta dixit, *segnius irritent animos demissa per aurem, quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus*: sed etiam quia sæpè varia, & multiplex, & diversa sit ejusdem temporis historia, quæ simul non possit exprimi, atque explicari: & quædam, quæ dici vix possunt, pingi facillè possunt: ut & alia dici possunt, quæ non possunt pingi. Itaque & veteres conjunxerunt utrumque, cum & picturam, si sola sit, mutam esse sentirent, proptereaque obscuram, & cæcam esse scirent: & orationem solam satis non præstare, quod desideratur, vererentur. Saltem audio tres olim fuisse *Fabios*, scriptores historicos, qui *Pictores* appellabantur. Optarem quidem etiam, ut historiæ non modò recitatio, sed & actio, qualis in scena esse posset, esset. Nam & talis actio,

actio, quæ loquax quàm ul- atque oc- mus, ho- historiam agit, regi- grumque- etum esse- ADRIANO pr- vincias, & c- Nobis ne sit- egrinari, hist- vel molestia- ulla peregr- Fateor, b- quod licet- duobus illi- conferat al- ad judicium- tionem, igne- & multò est- ricolosum, -phia in exig- dicat, & bre- niumque sit- dam exhibet- talis pictura- rerum in ea- quandam im-

actio, qualis in theatro spectaretur, viva esset, loquaxque pictura, & nos magis afficeret, quàm ullius *Apellis* tabula. Sed nunc inania, atque ociosa vota faceffant: & quod possu-
 mus, hoc & velimus, & agamus. Nam neque historiam abjicimus, licèt ipsas, de quibus illa agit, regiones obire, & in iis locis pedem, vesti-
 giumque ponere non possimus, in quibus factum esse aliquid narramus. Fuerit hoc Imp.
 ADRIANO proprium, ut perlustraret omnes provin-
 cias, & civitates, de quibus aliquid legerat. Nobis ne sit necesse, quod non licet, ita peregrinari, historia efficiet: & sinè ullo periculo, vel molestia nobis domi sedentibus, plus quàm ulla peregrinatio fortasse posset, præstabit. Fateor, beatos esse, quibus commodè licet, quod licuit ADRIANO: neque nescio, quid sit duobus illis modis *ισοπειν*: (*) neque quantum conferat alterum alteri & ad intelligentiam, & ad iudicium, & ad memoriam, & ad oblectationem, ignoro. Sed alterum, quod majus est, & multò est tamen minus vel difficilè, vel periculosum, commendo. Certè ut Cosmographia in exigua sphaera orbis caelestes nobis indicat, & brevibus tabellis globum terræ, regionumque situm, effigiem, facièmque spectandam exhibet, eamque veluti superficiem totam talis pictura facit aspectabilem: sic & historia rerum in ea superficie gestarum expressam quandam imaginem nobis offert, eamque eo-
 mita-

(*) Enarrare.

mitatur quædam five ὑποτύπωσις, (*) five προσωποποιία, (**) quæ animos tam valde nostros afficiat, ut nobis etiam persuadeamus, quod fingere solemus, ubi in scena agi aliquam fabulam videmus, hoc est, ut fingamus iis etiam nos & temporibus esse, & locis versari, de quibus aliquid narratur: & rebus ipsis interesse, easque videre præsentis, quas recitari audimus. Nam & hoc animo legendæ, atque audiendæ historiæ sunt, quæ nos attollere, circumagere, afficere ita debent & possunt, ut modò hæc, modò illâ ætate vivere nos, & modò hic, illic modò agere nobis planè videamur: neque modò res spectare tanquam præsentis, sed & in iis partes veluti nostras agere. Nam & antiquæ leges Panegyricæ jubebant, eos qui in stadio spectandorum athletarum causa confidebant, nudo, & aperto esse capite, quasi & in certamine ipsi versarentur, quemadmodum narrat noster BASILIUS (***) , & eo exemplo admonet, nos, cum res magnas narrari audimus, & eas propterea veluti spectamus, tam valde affici & commoveri debere, quàm si nostra res ageretur. Certè PLUTARCHUS (****) scribit, sese videri cum iis familiariter vivere & versari, domique suæ tales hospites audire. Tum verò exclamat, ô DEUS, an ulla vel est, vel esse potest voluptas, aut delectatio major? Sed quantò
nos

(*) Delineatio.

(**) Personarum effictio.

(***) *Homil. VI. in Hexam.*

(****) *In Paulo Aemilio.*

nos magi
erumpere
historiæ
multis m
ecquæ ta
tantoper
fufius qu
vellem.
me agere
poteat hæc
teligeretur.
universam, &
ratione. Se
stringam. A
auctoribus.
causa nomi
rem fuisse
rini xadōde
storix uniu
li lacera tar
δὲ πρῶτα το
nimè quid, a
possimus. I
res suum ul
minimè pra
itaque hic fo
dicam esse c
tibus partib
proprie dicit

(*) Univer
(**) Dirup
(***) Uniu

nos magis, sæpiusque in hanc exclamationem erumpere cogemur, cum in illa, de qua loquor, historiæ universitate versabimur? Vereor, ne multis molesta hæc mea mora sit, rogantibus, ecquæ tandem sit illa, de qua loquor, & quam tantopere prædico, historia. Exponam itaque fusiùs quod & laudo, & præstare, si possem, vellem. Ac uno quidem verbo dicere possem, me agere de historia integra. Sed quàm latè pateat hæc integritas, si tam brevis sim, vix intelligeretur. Possem adjicere, esse historiam universam, & temporum, & regionum, & rerum ratione. Sed nihil egero, si tam concisè id perstringam. Agam itaque planiùs, & magnis utar auctoribus. POLYBIUS, quem iterum honoris causâ nomino, & excellentem historiæ scriptorem fuisse profiteor, duobus locis, historiam τὴν καθόλον (*) contexi vult, & universæ historiæ unum esse agnoscit veluti corpus: cujus si lacera tantùm membra & (ut ille vocat) διεσπριμένα τὰ μέρη (**), sparsim intueamur, minimè quid, aut quale illud corpus sit, intelligere possimus. Habent quidem etiam singulæ partes suum usum, atque fructum. Sed separatæ minimè præstant, quod præstarent conjunctæ. Itaque hîc soleo POMPONII nostri verbis abuti, ut dicam esse corpus ex pluribus inter se cohærentibus partibus constans, quod Συννημένον (***) propriè dicitur, quòdque propterea individu-

um,

(*) Universalem.

(**) Diruptas partes.

(***) Unitum.

um, ut est, dici etiam possit. Atqui POLYBIUS non nisi unius ante suam ætatem sæculi complexus historiam est, neque alius eam est exorsus, quàm ab Olympiade centesima vigesima nona. Tantùm abest, ut omnium sæculorum integram, & ut vocat, catholicam, qualem esse debere statuit, sit persecutus. Equidem non dubito quin optarit, quod præstare non potuit. Sed cum principium ipsum non tenebat, tum verò judicabat ante Reipublicæ Romanæ amplitudinem, quæ totum prope orbem est complexa, res humanas tam fuisse & divulsas & dissolutas & disjectas, ut earum historia in unum corpus coalescere non posset. DIODORUS SICULUS, quem cum POLYBIO lubenter laudo, historiam abs rerum humanarum principio repetendam quoque esse profitetur, etsi ingenuè interea confiteatur, illud sibi principium minimè liquere: accusatque veteres historicos, qui non nisi unius aut gentis, aut civitatis historiam scripserunt, cum ea non tam historia, quàm abruptæ historiæ pars quædam sit. Equidem tanti scriptoris non solùm iudicio, sed etiam ingenuâ confessione delector: qui, quid requirendum sit, etsi id præstare non possit, astutè non dissimulat. Certè quærendo maluit, ut in tenebris sit, huc & illuc temerè jactari per varias obscuræ antiquitatis fabulas, quàm ad universæ historiæ principium non aspirasse videri, quæ universum deinde orbem pervagaretur. Nam & eam οἰκουμένην (*),

ut

(*) Oecumenicam.

in Polyb
lit, & fer
cuffisse
verò Gr
tentabat
TROGUS
sum vid
ut omni
tur, quan
videbantur
quod nusc
exemplo D
gine prima
temporibus
si tunc prin
nes exiter
moria esse
MERO rep
gere se pu
homo alic
etiam invic
vel, eternu
Trojanis, au
nulla occur
Præterea
Terrarum
Cur supra be
Non alias al

(*) Unive
(**) De f

ut POLYBIUS καθολικῶν (*) esse debere & sen-
 sit, & scripsit: et verò EUSEBIUS ait, eum ex-
 cussisse omnes historicas bibliothecas. Quod
 verè Græcè agebat, id eodem tempore Latinè
 tentabat alter magni quoque nominis scriptor
 TROGUS POMPEJUS: quem JUSTINUS ait aggres-
 sum videri Herculeâ audaciâ orbem terrarum,
 ut omnium sæculorum historiam complectere-
 tur, quam alii discerpere, & divisam concidere
 videbantur. Verùm & is procul à principio,
 quod nusquam videbat, subsistit: quanquam
 exemplo DIODORI conatus sit alios in rerum ori-
 gine prima repetenda superare. Alii non nisi abs
 temporibus Trojanis ordiuntur, perinde atque
 si tunc primum au orbis conditus sit, aut homi-
 nes extiterint, aut aliqua rerum humanarum me-
 moria esse cœperit, & quidem eam cùm ab HO-
 MERO repetunt, extremam antiquitatem attin-
 gere se putant. Itaque & ipse LUCRETIVS (**),
 homo alioqui Epicuræus, propterea coactus
 etiam invitus est, agnoscere mundum non esse
 vel, æternum vel ingenitum, quòd antiquiora
 Trojanis, aut Thebanis temporibus monumenta
 nulla occurrerent.

*Præterea (inquit) si nulla fuit mundi genitalis
 origo,*

*Terrarum & cæli; sempérque æterna fuisse:
 Cur supra bellum Thebanum & funera Trojæ,
 Non alias alii quoque res cecinere Poëtæ?*

Sanè

(*) Universalem.

(**) De Rerum Natura Lib. V. v. 325.

Sanè PLUTARCHUS ipse ad sua παράλληλα, hoc est, ad Græcam, & Romanam propè universam, quam colligere potuit, historiam aggressus, statim conqueritur, sese id cogi facere, quod in suis tabulis faciunt Cosmographi, qui cùm ignorant, qui nam sint fines orbis terrarum, quidve in iis sit, extremas illas oras veluti refugiunt, & confuse notant, in iis esse aut vastas solitudines, aut immensa maria. Sed neque dissimulat sese ad *Thesei* tempora, à quibus suam historiam orditur, assurgere non posse, quin jam multis ignotæ, & obscuræ antiquitatis fabulis, tanquam cæcis nubibus circumfusis, involvatur. Verùm bene habet, ut illæ terrarum partes extremæ, quæ olim latuerunt, nunc patefactæ sunt: sic etiam certis, atque adeò sacris literis perspicuè consignatum habemus illud rerum humanarum principium, quod historiæ initium justum sit, ut, non quidem bellum Trojanum, sed humani generis historiam, rectè gemino (quod ajunt) ordiamur ab ovo. Illa apud Poëtam (***) nobilem nobilis mulier, cùm audivisset quidpiam de illo bello, instat, & exclamans,

*Imo age, & a prima dic hospes origine nobis,
Insidias (inquit) Danaûm, casusque tuorum,
Errorèsque tuos.*

Et nos, cùm de rerum humanarum historia quæritur, non optabimus, eam à prima nobis
origine

(*) Parallela.

(**) *Aeneid. Lib. I. v. 757.*

origine ex
quod nat
solum po
ageretur
storia R
CICERON
quibus pe
retur exo
bat: quon
gerentur q
tis historian
cteretur, qu
co assenti
in ea mem
des illustrat
memorabi
prædicari,
lo: quem
Atqui & e
rat, et si abs
Imò verò co
rix potest, ni

Saltem
nus apud D
nam Roman
ordine inver
voluisse, & (C

(*) Lib. I. de
(**) Contra

origine exponi? Quid pluribus verbis urgeam, quod naturalis ordo, & ipsa rerum series non solum postulat, sed etiam flagitat? Cùm olim ageretur de conscribenda abs M. CICERONE historia Romana, quædam dissensio fuit inter CICERONES MARCUM, & QUINTUM, fratres, à quibus potissimum temporibus scribendi caperetur exordium. QUINTUS ab ultimis censebat: quoniam illa sic scripta essent, ut ne legerentur quidem. MARCUS æqualem suæ ætatis historiam potius deposcebat, ut ea completeretur, quibus ipse interfuit. ATTICUS MARCO assentiebatur: quia maximæ res essent in ea memoria, atque ætate, & Pompeii laudes illustraret, & incurreret in illum CICERONIS memorabilem annum, quem ab eo mallebat prædicari, quàm (ut ajunt) de REMO & ROMULO: quemadmodum refert ipse CICERO. (*) Atqui & ejus temporis historia contexti poterat, etsi abs REMO & ROMULO inchoata fuisset. Imò verò commodè contexti, atque explicari vix potest, nisi si ab eo principio reperatur.

§. VI.

Saltem insolens & ineptum est, quod *Callemus* apud DIONEM significat, CICERONEM historiam Romanam abs consulatu suo inchoatam, ordine inverso ad ætatem ROMULI perducere voluisse, & (ut ait) ἀνάπαλιν προχωρῆντα, (**)

NOVO

(*) Lib. I. de L. L. Cap. 3.

(**) Contrario modo procedentem.

novo quodam scribendi exemplo, principium, ubi desinere debebat, finemque, ubi debebat ordiri, collocasse. Non existimo CICERONEM hoc fecisse, quod & absurdum & præposterum est, & fieri vix potest. Sed quia de suo Consulatu scripserat intereà dum deliberabat de totius Romanæ historiæ descriptione: credo, adversarium & calumniatorem *Calemum* odiosè finxisse, quod exprobraret. Poëtæ (fateor) quibus propositum est, lectorem, auditoremve delectare, principio solent eum veluti in fine collocare: quia vident priora magis esse horrida, & vereantur, ne, si auditorem statim fatigent, ante finem recitationis amittant. Cæterum, ubi jam aliquâ voluptate delinitum ac veluti irretitum tenent, submitunt & subornant aliquam personam, quæ, captatâ occasione, narret illa priora, & veluti aliud agendo, auditorem à postremis ad priora non invitum revocet. Sed liceat hoc poëtis: Historicis ita ludere profectò non licet: neque dignus, cui serviant, auditor est, qui id postulat: neque, ut ineptas ejus delicias alamus, rerum, temporumque ordinem invertere oportet. Neque probabile est, CICERONEM voluisse ex historia Romana *δραματικὸν* (*) aliquod poëma effingere. Quid ATTICUS? Nonne cùm eam conscriberet, inde, unde ordiri debuit, orsus est? Certè CIGERO (**) ait, eum conservatis, notatisque temporibus,

(*) Dramaticum.

(**) *de Orator Cap. 34.*

poribus, cùm nihil illustre prætermitteret, annorum septingentorum memoriam uno libro colligasse. Septingentos annos cùm dicit, ab Urbis conditæ primis, extremisve temporibus eum scribendi cœpisse exordium, significat. Neque dubito, quin *Luccejus* ille, quem *CICERO* tantopere laudat, ac continentibus scriptis perpetuam rerum gestarum historiam complexum esse ait, inde quoque sit exorsus. Ego verò ut existimem, ab orbe condito exordium historiæ fieri debere, multò & majoribus & gravioribus causis adducor. Longior essem, si eas nunc omnes commemorare velim. Sed profectò, qui intelligunt, quænam sit rerum humanarum successio, & veluti concatenata consecutio: næ illi naturalem quandam (ut *JURISCONSULTORUM* verbo utar) individuitatem perpetuæ historiæ esse sentiunt. Itaque & quod abs vero principio erit inchoatum, non est, antequam ad finem perductum sit, dimittendum. *PLINIUS* in quâdam ad Imperatorem *TITUM* epistolâ, miratur, *TITUM LIVIUM* in historiarum suarum quodam volumine sic exorsum esse, Potuisse se desinere, ni animus inquietus pascere-tur opere. Ait majus meritum esse, operis amore, non animi causâ, perseverasse. Sed illi ardor, & perseveratio inquieti animi, qui desinere ante finem non poterat, quid aliud fuit, quàm naturalis amor operis individui? Non est necesse, ut pluribus verbis commendem hæc duo veluti extrema historiæ universæ. Sed addo, universitatem integram non esse, nisi si

historia interea & omnes obeat regiones, in quibus est aliquid, cur hæreat, & ubi consistat: ac, quid ibi domi, forisque agatur, notet, cumque suis semper circumstantiis describat. Veteres appellarunt historiam *πραγματικὴν*, (*) quæ quod narrat, diligenter exponit, & sapienter, utiliterque demonstrat, ut non solum eventa, sed & causas eorum, & cum consiliis facta describat. Talem ergo *πραγματείαν*, (***) esse ejus universitatis, de qua loquor, partem præcipuam profiteor. Cum autem non modò res humanas, sed & divinas historia persequatur, magis atque magis apparet esse individuum. Nam & Ecclesiasticæ magis, quàm civilis historiæ ea est conditio, ut pro parte non possit rectè intelligi. Adèd continuum quoddam ejus veluti filum est, quod non abrumpitur. Quid illud sit, fortasse non vident homines profani. Sed imprimis tamen cerni, & considerari debet, si seriò agimus, neque historias, ut fabulas Aesopicas, ludendo legimus. Et verò nihil agimus, nisi si persequamur historiam sacram, ut civilem, non confusè quidem, sed conjunctim tamen. Sacram appello, quæ eo nomine digna sit: quam quia planè ignorarunt veteres Græci & Latini, minimè potuerunt, quam prædicabant, integram historiam edere. De suis quidem sacris narrant illi multa: sed quod in orbe terrarum verè fuit sacrosanctum, aut non vide-

(*) Pragmaticam.

(**) Commentationem.

viderunt,
etiam sup
ciderit,
riam (ul
fic qui h
cum hæ
rumpat.
ficiat alte
opus indi
notabo, ne
genere pec
Sed licet n
ostendam, v
actum esse
eo, præte
scitè, si re
in Repub
Sed an Ec
Rempubli
non describ
pus satis det
in eo inclusi
vit? Cæter
& composi
ultæ, & ja
celle est. C
ditio ea tan
rationes suis
citas comple
se historia, e
archis & Imp
quid dicam? S

viderunt, aut malitiosè contempserunt, atque etiam suppresserunt. Ac nescio quomodo acciderit, ut quemadmodum, qui civilem historiam susceperunt, neglexerunt Ecclesiasticam: sic qui huic se dederunt, illam præterierunt, cum hæc tamen divisio utramque prope corrumpat. Non exaggerabo, quantum alteri officiat alterius inscitia: neque scriptores, qui opus individuum indignè dissecuerunt, nunc notabo, neque aut eorum in utroque historiæ genere peccata exagitabo, aut in iis me jactabo. Sed liceat modò, quod in re præsentis magis ostendam, verecundè profiteri, nihil in historia actum esse videri, nisi si totum illud, quod dico, præstetur. Dixit olim OPTATUS AFER, & scitè, si rectè intelligatur, dixit, Ecclesiam esse in Republica, potiùs Rempublicam in Ecclesia. Sed an Ecclesiæ conditionem satis exponit, qui Rempublicam, in cujus veluti sinu illa coalescit, non describit? Et rursus an Reipublicæ corpus satis describit, qui ejus veluti animam, & in eo inclusam, quam dixi, Ecclesiam non novit? Cæterum ut utriusque & florentis gloriam & compositæ statum, sic & inclinationem percussæ, & jacentis deformitatem considerare necesse est. Quinimo Ecclesiæ Christianæ conditio ea tandem fuit, ut universæ Reipublicæ rationes suis rationibus immixtas & circumplacatas complecteretur: & quæ Ecclesiastica esset historia, eadem & civilis esset. De Patriarchis & Imperatoribus Constantinopolitanis quid dicam? Saltem Pontificum Romanorum &

Regum, Imperatorumque nostrorum historia, tam conjuncta est, ut propè una sit. Non dicam omnia, quæ mihi nunc occurrunt cogitanti quam historiæ universitatem requiram, & cur eam requiram. Sed illud dicam: si ea unquam colligenda fuit, nunc potissimum colligi & posse & debere: nunc, inquam, cum eò res, de quibus quærimus, perductæ esse videantur, ut ad extremum veluti actum fabulæ ventum esse videri possit. Veteres non nisi quandam veluti protasin aut epirasin spectare, narrarève potuerunt. Nos etiam catastrophem propè cernimus: ut & cum principio, ipsum quodammodo finem historiæ conjungere possimus.

§. VII.

Quid dicam, nostro demum sæculo patefactum patuisse universum terrarum orbem, magna ex parte veteribus incognitum, sive Orientem, sive Occidentem, sive Septentrionem, sive Meridiem spectemus? Scio quod ARISTOTELES ait, eam historiam maximè placere, quæ non nimis aut antiqua, aut nova est: quòd illa videatur fabulosa, hæc etiam vulgo protrita sit. Sed quid aut ineptis, aut fastidiosis, aut nimium delicatis hominibus placeat, nunc non quæritur. Quæritur, quid sapientibus & sanis placeat, placerèque omnibus debeat. Itaque & illud vehementer repudio, quod abs DIONYSIO HALICARNASSÆO in quadam ad *Pompejum* epistola, ubi de stylo PLATONIS agitur, scriptum esse non solùm memini, sed etiam miror, id imprimis

mis in historia scribenda curandum esse, ut jucundum lectoribus argumentum quæeratur. Imò verò, quod & verum, & utile est, quæerere potius debemus. Idem DIONYSIUS alio loco monet, historicum Scriptorem deligere sibi debere argumentum aliquod nobile, & illustre. Sed nunc de tali delectu unius alicujus partis non agimus. Agimus de re totâ, quæ se dividi vix patitur: & quam, sicuti ille olim Jurisconsultus de navi respondit, si dividas, perdes. Scio, quid DIONYSIUS sibi proposuerit, cum ἀρχαιολογίας ῥωμαϊκῆς (*) commentarios institueret. Sed aliorum alia fuit ratio, qui magis hoc egerunt, ut, undecumque suas tandem historias ordirentur, ad suam eas ætatem, si possent, perducerent, eoque etiam properarent: neque aut, aliam sui laboris metam sibi proponerent, aut priusquam eam cursu contigissent, quiescerent: ac nisi si eò pervenirent, nihil propè actum esse putarent. Denique video multos maluisse ex abrupto inchoare, quàm ante hunc finem desinere. Ergo qui iis in scribendo scopus propositus fuit, idem nobis & multò quidem magis, esse debet in legendo, atque audiendo. Et verò qui degeneres non sunt, retinentur quodam naturali desiderio, ut ante finem non discedant, non modò, si historia narrari, sed & si fabula recitari cœperit. Testem bonum laudabo CICERONEM, qui agens de scientiæ cupiditate naturali, quæ hominum animis

Y 4

ineft,

(*) Historia de Antiquitate Romanâ.

inest, ipsi (inquit (*)) quæramus à nobis, quid historia delectet, quam solemus persequi usque ad extremum: prætermissa repetimus, inchoata persequimur. Nec verò sum inscius, esse utilitatem in historia, non modò voluptatem. Quid, cùm fictas fabulas, è quibus utilitas nulla duci potest, cum voluptate legimus? Non dissimilis est ratio PLUTARCHI, qui nos etiam ait, quasi phanis aut theatris clausis magnopere desiderare postremum actum. Οἷον (inquit) ἱερῶν κλειομένων ἢ θεάτρων ἐπιποθοῦντες τῆς μυθοῦ τῆς λειπόμενον. (**). Scio multos esse ignavos auditores, qui, ut pueri, missam faciant concionem, priusquam aut dimittantur, aut audierint illud vel oratoris, DIXI, vel præconis, I LICET. Scio multos esse inconstantes & leves spectatores, qui statim defessi, suum in scena locum deserunt, priusquam aut ad extremum, qui tamen optimus esse solet, actum fabula venerit, aut epilogus jusserit eos valere & plaudere. Sed valeant sanè. Scio etiam pleròsque, qui literati videri volunt, eruditis quidem veterum historiis lubenter operam dare: sed fastidiosè abhorrere abs posteriorum temporum, quæ barbara atque horrida esse judicant, cognitione. Verùm velim eos meminisse, historias non esse verborum, sed rerum: neque unius alicujus linguæ expoliendæ tantùm causa comparari, sed mentis erudiendæ. Denique

(*) *Lib. V. de Fin. Cap. 19.*

(**) Sicuti, Templis clausis, vel Theatris, desiderantes Fabulæ exitum.

que fere
Gramm
moriã
stulticia
cum fu
nasque
los occi
ruat, ve
vel Urb
Sic histor
scribunt.
circumto
beant aze
pus repu
labris su
amatore
mam &
catam l
fudandu
Saltem n
mùmque
quoque g
abs mayo
& veter
tione ca
nullam r
cordatio
rate antic
tutionem
suetudine

(*) Car

que ferendas non esse ineptias quorundam Grammaticulorum, qui ad Gothos usque memoriam nostram produci nolunt, quique suæ stultitiæ finibus orbem terrarum metiuntur, cum suæ elegantiae flosculis res divinas humanasque æstimant: quique aures obstruunt, oculos occludunt, fugiunt ex theatro, quasi cœlum ruat, vel Gorgone visa, cum ad linguæ Latinæ vel Urbis inclinationem narratio descendit. Sic historiam pro sua libidine finiunt & circumscribunt. Sed habeant sanè circumcisam atque circumtonsam, qui integram respuunt: habeant ἀκέφαλον καὶ μειοῦρον, (*) qui totum corpus repudiant: nec nisi ejus osculum summis labris suaviter delibent tam molles & tenelli amatores. Dicerem, eos sapere, qui difficillimam & asperrimam, & multis tenebris implicatam historiarum partem refugiunt, in qua sudandum esset. Verùm turpis est hæc ignavia. Saltem nimium putidæ sunt eorum deliciae, nimiumque ipsi degeneres sunt, quos tam suæ quoque gentis, aut patriæ pudet, tædétve, ut & abs majorum suorum monumentis abhorreant; & veterum peregrinarumque rerum admiratione capti, nullam earum, quæ successerunt, nullam recentiorum, nullam domesticarum recordationem admittant. Laudo equidem literatæ antiquitatis, quantumvis peregrinæ, cognitionem, familiarémque cum eâ veluti consuetudinem. Sed laudare non possum illam

Y 5

ΞΕΥΟ-

(*) Carentem capite, & in fine mutilatum.

Ξενομανίαν, (*) quæ, tanquam aliqua *Circe* socios *Ulyssis*, studiosos dementat, ne unquam domum redire velint.

§. VIII.

Certè cæca & propè amens est illa eruditio, quæ res propinquiores, & quæ (ut ille ait) sunt ante pedes, etsi sint magis necessariae, tam neque videt, neque videre vult, quàm remotas ociosè peruestigat. Quid præterea dicam, ut refellam hanc stultitiam? Nihil egero, nisi si eos, qui quia literis exemplisque Romanorum addictos se esse glorientur, in iis subsistunt, iis abuti dixerò, cum à quibus incitari debebant, ut progredierentur, ab iis tanquam tricis implicatos se retardari ajunt. Turpe est (inquit noster *MUCIUS*, Jus ignorare, in quo versamur: sed multò turpius est, nos & in patriâ, & domi peregrinos videri. Saltem *CICERO*, (**), etsi videatur excusare in aliis quibusdam rebus quandam (ut vocat) ἀνισορροσίαν, (***) tamen cum de quodam *Metello* agit, nescire (inquit) proavum suum *Censorem* fuisse, turpe est. Et exclamat, ὡ ἀνισορροσίαν (****) turpem. Quid? ne id accidere posset, quàm sollicita fuit veterum Romanorum cautio & cura? *PLINIUS* (*****) (nam ejus verbis quam meis uti malo) loquens
de

(*) Insolentem insaniam.

(**) *Lib. VI. Att. epist. 1.*

(***) Historiarum inscitiam.

(****) Significat idem.

(*****) *Lib. XXXV. Cap. 2.*

de Majorum imaginibus, quæ in atriis erant, *Expressi* (inquit) *cerâ vultus, singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitantur Gentilitia funera. Stemmata verò lineis discurrebant ad imagines pictas. Tablina codicibus replebantur, & monumentis verum in magistratu gestarum. Aliæ foris & circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quæ nec emptori refringere liceret.* Hæc ille. Si priuatæ quoque familiæ, & quæque gentes domesticam suam historiam conservabant tam diligenter: quantò nos magis publicam patriæ, & Principum, quibuscum nobis res est, memoriam tenere atque tueri debemus. Et verò etiamnum in Principum nostrorum bono more hoc positum est, ut diligentissimè suæ gentis, atque familiæ stemmata, & imagines describant, atque conservent: neque quem in Republica cum dignitate nunc tenere locum possit, video, certè rebus in ea gerendis ineptus erit, qui talium (ut loquimur) genealogiarum memoriam non tenet. Fuisse autem & olim Romæ nobilium familiarum cognitionem, tanquam liberalis doctrinæ partem egregiam, à doctis hominibus excultam, vel ex eo intelligi potest, quòd eam CICERO in sui *Attici* studiis laudet. Sed & pro *Murena* ait, nobilitatem *Servii Sulpitii*, quæ populo erat obscurior, literatis hominibus, & historicis fuisse notam, cum ejus memoria non ex sermone hominum recenti, sed ex annalium verustate esset eruenda. Si quis alterum petat veterum exemplum

plum, quod hujus loci sit; dicam VALERIUS
 MAXIMUS (*) de antiquis Romanorum institu-
 tis loquens, majores natu (inquit) in conviviis
 ad tibias egregia superiorum opera carmine
 comprehensa, pangebant, quo ad ea imitanda
 juventutem alacriorem redderent. Deinde ex-
 clamat: Quas Athenas? Quam scholam? Quæ
 alienigena studia huic domesticæ disciplinæ
 prætulerm? Non dissimilem fuisse veterum
 Germanorum morem, testis est TACITUS. Sed
 multò magis fuisse veterum Gallorum, AM-
 MIANUS MARCELLINUS (**) significat, cùm ait,
 eorum Bardos fortia virorum fortium facta,
 heroicis composita versibus, cum dulcibus ly-
 ræ modulis cantitasse. Denique fuisse hanc in-
 genuorum adolescentum primam institutio-
 nem, optimus quoque Poëta VIRGILIUS (***)
 indicat, qui canens Genethliacon Salonini, ait,

*At simul Heroum laudes & facta parentum
 Fam legere, & quæ sit, poteris cognoscere, virtus. &c.*

& nos erimus tam degeneres, ut ne audire
 quidem velimus patriæ historiæ carmen? Cæ-
 terum id intelligere non possumus, nisi si &
 eorum, qui Barbari dicuntur, memoriam te-
 neamus. Si Galli, vel Britanni, vel Germa-
 ni, vel Hispani, vel Itali sumus: ut de nostris
 loqui possimus, necesse est nos Francorum,
 Anglorum, Saxonum, Gothorum, Longo-
 bardorum

(*) *Lib. II. Cap. 1.*

(**) *Lib. XV. Cap. 9.*

(***) *Ecl. IV. v. 26.*

bardoru
 nostri c
 sint, n
 Turcic
 strâ c
 rûmqu
 aut bar
 nare de
 loquens
 rumpubl
 rium (in
 lum, se
 mores, i
 leges et
 quam n
 rum ab
 atque
 gentise
 num ve
 stras Re
 norum &
 ad barba
 rian, p
 qui libe
 dent op
 qui sua
 vel Prin
 trecentis
 nent: fe
 mundus
 terrarum

(*) An

bardorum historiam non ignorare: cùmque
 nostri cum Saracenis, & Turcis sæpe congressi
 sint, ne nescire quidem licet Saracenicam, &
 Turcicam. Neque verò quæcunque res à no-
 strâ consuetudine, vel Romanorum Græco-
 rumque facundiâ abhorrent, eas propterea res
 aut barbaras statim judicare, aut ignotas dam-
 nare debemus. CICERO *lib. 5. de Finib. Cap. 4.*
 loquens de Philosophia, quæ etiam ad Re-
 rumpublicarum gubernationem refertur, Om-
 nium (inquit) ferè civitatum non Græciæ so-
 lum, sed etiam Barbariæ, ab ARISTOTELE,
 mores, instituta, disciplinas: à THEOPHRASTO,
 leges etiam cognovimus. Ergo & cùm illa,
 quam non negligi opto, posterior pars historia-
 rum ab hominibus literatis ornatè conscribi,
 atque perpoliri jam cœperit: & ab annis quin-
 gentis ea laudari gesta majorum, quorum etiam
 num vel liberi regnant, vel posteritas regit no-
 stras Respublicas, rectè possint, quæ ad Roma-
 norum & Græcorum antiquam gloriam, quàm
 ad barbarorum populorum ignobilem memo-
 riam, propiùs accedant: planè spero fore, ut,
 qui liberaliter instituuntur, huic quoque studio
 dent operam. Scio multos esse φιλοπατρίδας, (*)
 qui suæ quidem patriæ, suorumque Regum
 vel Principum historias ab annis ducentis vel
 trecentis repetitas, tanquam digitos suos te-
 nent: sed præterea nihil. Nam quasi antea
 mundus conditus non fuerit, & in orbe
 terrarum nulla gens fuerit, præterquam in
 isto-

(*) Amatores Patriæ.

istorum patriâ: ita illi domi hærent, & aliam, quàm domesticam, esse nullam historiam putant. Verùm indoctorum, atque illiteratorum, quorum humiles, & angusti animi sunt, ea prope puerilis stultitia est, miserâque inscitia: quæ tamen (credo) si erudiatur atque impellatur, ex ignorantia suæ carceribus exire, longiùsque progredi non recusabit: neque tam fortasse fastidit memoriam antiquitatis, quàm, quia literas non didicit, illius monumenta evolvere non potest: cùmque illi facultatem potius quàm voluntatem deesse putem: ope & consilio, quàm reprehensione, digniorem esse existimo. Literatos, hoc est, Latinis, Græcisque literis addictos iterum compellarem, atque etiam rogarem, ut non modò posteriorum barbarorùmque temporum historiam non contemnant, sed & illam antiquam, quæ abs Romanorum, Græcorùmque consuetudine fortasse abhorret, tam barbaram esse non putent, ut suâ indicent indignam esse cognitione: dico Judaicam: in qua profectò plus, quàm in Romanâ, est admirabilium observationum. Sed quia Christianos nunc compello, non existimo pluribus eos verbis eo nomine rogandos esse. Velim quidem certè aliquando meminerint, quàm ejus ignorantia ridiculos reddiderit multos historicos, qui tantâ alioqui literarum gloriâ floruerunt, Græcos atque Romanos: eosque eò magis reprehendi sciant, quod in suo alioqui ordine haberent, à quibus, quod in hoc genere ignorabant, discere,

ere, si salt
dit JOSEPH
Diodoro,
no, claru
deque Ju
quàm imp
æris post
biles scrip
est Judaica
Tacitus in
Symposiacis
dicam, Sena
Gentibus in
vanitatem tu
cùm in eo
phanti extr
infulsit,
mam, omi
frustra peti
verò tam ei
Cicero Hier
Risit, credo,
etiam nou e
ipse Titus,
Hierosolyn
olim tentata
Regibus, D
dem nunc o
qui non soli
tant, sed & g
(*) Historia

cere, si saltem eos legissent, poterant, ut ostendit JOSEPHUS *contra Apionem*. Quid dicam de DIODORO, de STRABONE, de TROGO vel JUSTINO, clarissimis historicis? Quid illi de MOSE, deque Judæis? Quàm ineptè, quàm falsò, quàm impudenter? Imò verò (ut tres ejusdem ætatis posteriores quidem, sed non minùs nobiles scriptores notem) qualis, ubi tractanda est Judaïca historia, nugator est, vel CORNELIUS TACITUS in suis Annalibus, vel PLUTARCHUS in Symposiacis, vel APPIANUS in Syriacis? Quid dicam, Senatù populùmque Rom. omnibus Gentibus in triumpho suam in hoc genere vanitatem turpémque ἀνισορροσίαν (*) ostentasse, cùm in eo arcu, quem TITO de Judæis triumphanti extruxit, non solùm inscripsit, sed etiam insculpsit, TITUM delevisse urbem Hierosolymam, omnibus ante se ducibus, Regibus, aut frustra petitam, aut omninò intentatam. Itáne verò tam citò sui quoque *Pompeji*, quem & CICERO Hierosolymarium vocat, obliti erant? Risit, credo, JOSEPHUS, cùm tam ridiculam, quæ etiamnum extat, legit inscriptionem. Risit & ipse TITUS, quem JOSEPHUS docuerat historiam Hierosolymitanam, in quâ urbem illam sæpe olim tentatam, victam, expugnatam abs multis Regibus, Ducibusque ostenderat. Quod quidem nunc obiter dico, quia scio multos esse, qui non solùm tam fatuas inscriptiones adorant, sed & gloriosæ suæ eruditionis magnam

partem

(*) Historiarum insecitiam.

partem esse putant, rerum Judaicarum superbam ignorantiam: cui tamen facile ignoscerem, si posteriorum temporum esset. Nam fateor post urbem illam à Romanis everfam, ejusque Rempublicam deletam, in eà gente, quæ dispersa, & incertis errans sedibus, miseram servitutum servit, vix esse quidquam reliquum, in quo historia hæreat. Cæterum urbs illa, quæ veluti prima & princeps omnium magnarum urbium, antea multoque ante Romam, historiam occupat, rursus nos ad se postea revocabit, cum nostrorum Principum novos in ea triumphos, duce Gothifredo, & veluti Europam sæpius ad Barbaros depellendos mare illud mediterraneum trajicientem, spectabimus. Mirabilis profectò est ille, quem in historia intuebimur, Euripus rerum humanarum: mirabiles vices sunt, incursionés, emigrationésque gentium, & populorum, reciprocis (ut ita dicam) motibus alternantium. Sed quid tandem in iis vident, qui totum non vident? Credo equidem multos spectare lubentiùs Romam de aliis gentibus triumphantem, quàm barbaros vicissim illi insultantes, & dirâ ultione Italiam pervastantes: imò verò Septentrionem & Austrum ad Orientis, atque Occidentis Imperium evertendum, concurrentes. Sed ex illà vastitate, talibusque ruinis condita sunt regna, quæ nunc admiramur, & in quibus vivimus: neque eorum conditionem, à cujus cognitione non possumus esse alieni, satis intelligere aliqui possemus.

Dis
rum, & c
porum, t
triplicium
domi & h
vilem, ut
proximum
randum, n
ea semper
ellet alioqui
hil est magi
magis affine
bia probatio
ter, & verè
lubenter ut
si quis ex h
poris oculis
succidere, e
que animam
dicitur) Sole
men non sen
u-
mum sit ve
rebus dubi
stringere.
Hercule nar
historiam eff
ro. Arque h
(*) Disserta
lus

§ IX.

Dixi historiæ universæ dandam esse operam, & quidem universam dici ratione temporum, regionum, rerum: rerum (inquam) triplicium, ut statum religionis & Reipublicæ domi & foris, hoc est, historiam sacram, civilem, ut & militarem requiramus. Nunc proximum est, ut dicam, non minùs esse curandum, multoque etiam magis cavendum, ea semper ut sit vera. Nam neque historia esset alioqui, sed fabula, quâ quidem certè nihil est magis alienum ab historia, nihil licèt magis affine videatur. Non utar in re non dubia probationibus non necessariis. Sed eleganter, & verè POLYBIUS (cujus nunc testimonio lubenter utor) mihi dixisse videtur, veritatem si quis ex historia tollat, pulcherrimi eum corporis oculos effodere, atque eruere, nervos succidere, ossa confringere: addo, ipsam quoque animam eripere videri, atque adeò (quod dicitur) Solem tollere de mundo. Neque tamen non sentio sic interdum ἀρχαιολογίας & μυθολογίας (*) esse conjunctas, ut difficilimum sit verum abs falso discernere. Sed in rebus dubiis possumus fidem nostram non astringere. DIONYSIUS *lib. i.* ait, ea, quæ de Hercule narrantur, partim fabulam, partim historiam esse. De bello Trojano idem dixerit. Atque hinc equidem video Poëtas mirificè

(*) Dissertationes de Antiquitatibus, & Fabulis.

cè lufisse, ut ille *SINON* apud Poëtam falsum vero immiscet. Sed opera danda est, ne facile nobis illudat talis commixtio. *PLATO* libro secundo de *Republica*, cum de Poëtis ex ea ejiciendis ageretur, dixit, orationem aut veram, aut falsam esse: illam autem esse historiam, hanc verò esse poësin, sive fabulam. *QUINTILIANUS* (*) verò diligentius discernit, narrationem esse triplicem: primam esse falsam, quæ fabula sit, & dicatur: qualis est in eo poëmate, quod non modò à veritate, sed etiam à veritatis forma remotum sit. Secundam esse verisimilem, quæ tamen sit ficta, vocaturque argumentum: qualis in Comædiis esse solet. Tertiam esse veram, quæ historia sit appellanda. Si igitur aut falsa, aut ficta hæc sit, jam & esse & dici desinet historia. *POLYBIUS* etiam severior est: Historiæ (ut vocat) *πραγματικῆ* (**) non patitur inferi aliquid *δραματικόν*: (***) graviterque reprehendit historicos, qui narrant Hannibali Alpes transituro, percusso atque attonito apparuisse quendam Heros, ut in Tragædiis sæpe occurrit *θεὸς ἀπὸ μηχανῆς*. (****) Certè Latini scriptores magis quàm Græci, prodigia narrant, & iis aliquando nimium indulgent. Sed miracula (ut appellantur) si verè inciderint, minimè sunt suppressenda: qualia sæpe occurrunt in historia sacra,

(*) *Instit. Orat. lib. II. Cap. 4.*

(**) Pragmaticæ.

(***) Dramaticum.

(****) Deus ex Machinâ.

cra, quæ in humana ratione non hæret, neque ex ea solum æstimat rerum eventa; sed DEUM iis feriò admiscet. Cæterum planè ridiculi sunt historici, qui non dico miracula, aut prodigia fingunt: sed interdum, quod nullam veri speciem habent, plusquam poëticè narrant. Apud HOMERUM Græci vincunt Trojanos præsentè ACHILLE, quo absente vincuntur. Nam in magno Duce multum momenti est positum. Sed an propterea PROCOPIUS fingere debet unum aliquem Isaurum, vel Thracem suâ sagittâ fugasse universum Gothorum exercitum? Scilicet talia LUCIANUS ascripsisset veris suis narrationibus, quæ monstra non admittit historiæ fides. Atqui audio, vix ullam historiam esse, cui non aliqua fabula, tanquam labes, aspersa sit.

§. X.

Ita est fortasse. Sed aliud est, fabulam studiosè fingere: aliud, historiæ per imprudentiam aliquid interdum affingere. PLUTARCHUS in *Pericle* scribit, difficilis investigationis esse historiam veram, quòd & posterioribus scriptoribus temporis antiquitas præteritarum rerum cognitionem sæpe eripiat: & ii, qui æquales sunt ejus, cujus aut vitam, aut acta describunt, vel invidiâ & odio, vel amore, assentationéque distrahantur à veri studio. Sed an propterea studium historiæ PLUTARCHUS abjecit? Non erubuit olim FLAVIUS VOPISCUS, cùm historiam alioqui scribere institueret, confiteri, nullum historiæ scriptorem esse, qui

non sit aliquid mentitus. Sed minimè nos ab-
 duci propterea ab omnium scriptis debere, ju-
 dicavit: neque omnes historias, JULII CAPITO-
 LINI verbo pronunciavit esse mythistorias.
 Fieri profectò vix potest, quin aliquid falsi ali-
 quando in earum monumenta irreat. Sed
 nimis illi, non jam dico morosi, sed impor-
 tuni & intemperantes Censores sunt, qui sta-
 tim, atque quidpiam ejus generis in aliquo
 scriptore notare possunt, totum scriptorem
 superbè, ac fastidiosè abjiciunt, vel contume-
 liosè lacerant, non secus atque qui cùm ali-
 quem in pulchro alioqui corpore nævum de-
 prehenderunt, totum illud corpus tanquam
 deforme & fœdum cadaver conspuunt, sepe-
 liendùmque, & obruendum esse impotenter
 clamitant. Atqui si agere ita velimus, ecquam
 tandem historiam habebimus reliquam? Scio,
 & profiteor, nos, quantum fieri potest, cu-
 rare debere, ut fabulas, quæ historiam ple-
 runque obsident, eamque clàm pervaserunt,
 depellamus. Sed rursus cavere oportet, ne sic
 omnia ad vivum refecemus, ut etiam verum
 cum falso temerè abjiciamus. Multa quidem,
 quæ suspectæ fidei sunt, non invitus circum-
 ciderem. Nam & quod reliquum erit, satis
 erit magnum: & pauciora, quæ casta & ve-
 ra sint, malle, quàm multa, quæ sint du-
 bia, incerta, inquinata. Sed non minus est
 periculi in vero repudiando, quàm in falso
 complectendo. Cogor autem nunc tantò ma-
 gis dicere, quod dico, quia audio, nuper homi-
 nem

nem alioqui eruditum publicè scripsisse, JOSEPHUM esse referendum inter scriptores delirios, & fabulosos; Nicephorique historiam Ecclesiasticam nihil aliud quàm plaustra ineptiarum & blasphemiarum. Non dicam, mirari me id ab eo dici, qui & iis auctoribus sæpissimè utitur, & eorum testimonia in rebus gravissimis aliàs laudat. Sed dicam, si tales scriptores planè conculcandi sunt, penitusque jugulandi, & eodem exemplo, reliqui ejusdem generis, actum esse de historia. Et quid tandem reprehendere in NICEPHORO possunt, quod non possint in ipso EUSEBIO? si hunc, notato licèt errore, nihilominus laudant: cur illum, in quo laudari plura possunt, non ferunt eadem conditione? JOSEPHO cur infesti quoque sint, magis etiam miror, Judæo certè scriptori, sed tam alioqui fideli in suo genere, ut etiam HIERONYMUS, Censor minimè obtusus, eum retulerit inter scriptores Ecclesiasticos, & alibi appellet Græcum Livium. Sunt quædam in eo peccata. Quis negat? Sed quàm multa sunt recta, præclara, necessaria ad ipsam quoque sacram historiam illustrandam? ut nimium ingrati futuri simus, si etiam irascamur VESPAIANO & TITO, qui illum tanti fecerunt. Sane TERTULLIANUS, gravis & severus scriptor, dixit aliquando, TACITUM esse mendaciorum loquacissimum. Sed hoc tantùm dixit, cùm de historia Judaica ageretur, in qua & nos profitemur TACITUM nugari. Verum quid hoc ad Romanam?

§. XI.

Ut brevè faciam: sapienter profectò & graviter CICERO monet, non statim propter aliquod vitium abjiciendos esse historicos. *Quis* (inquit) (*) *non dixit EUPOLIN ab ALCI-BIADE navigante in Siciliam, dejectum esse in mare? Redarguit ERASTOSTHENES. Adfert enim, quas ille post id tempus fabulas docuerit: Num idcirco duris SAMIUS, homo in historia diligens, quòd cum multis erravit, irvidetur? Quis ZALEUCUM Locris leges scripsisse non dixit? Num igitur jacet THEOPHRASTUS, si id à TIMÆO tuo familiari reprehensum est? TIMÆUM historicum negasse ullum unquam fuisse ZALEUCUM: sed THEOPHRASTUM, auctorem meliorem, contra affirmare, ait libro secundo de Legibus. Non rectè ergo THEOPHRASTUS à TIMÆO reprehensus erat. Sed fingamus eum & meritò aliquà in re esse reprehensum, & aliquando falsum esse, atque fefellisse: tamen negat CICERO propterea abjiciendum planè esse. Cur enim reliqua, quæ bona sunt, amitteremus? Idem CICERO libro 1. de Legibus Cap. 1. HERODOTUM vocat Patrem historiarum. Atque libro 2. de Oratore Cap. 13. non negare videtur, multas apud eum esse fabulas. Sed nimis profectò intemperanter sæviunt, qui illius libros & Musas, eo nomine suppressere vellent. Nam quales tenebras, hoc lumine extincto, antiquissimis historiis offunderent? Imò verò quàm*

atro-

(*) ad Alt. Lib. VI. Epist. 1.

crocem in
cum qua
quàm ull
i. contra
methonis
quòd im
Ægyptiis
non jugu
PLUTARCH
iamosus li
boru. (*)
indulgens,
notam inur
rodus ip
quædam r
dem illis
clam non
esse, crede
TARCHUM
dem quinc
endere? (C
ic (***)
testimonio
CTESIE hi
Bæoticis:
Apolog. It
de rebus Pe
ne contemr
(*) De m
(**) Mala
(***) Fal
(****) E

atrocem injuriam facerent historiæ Prophetiæ, cum qua HERODOTUS habet communia plura, quàm ullus scriptor Ethnicus? JOSEPHUS libro I. contra Apionem, ait, in Commentariis Manethonis Ægyptii reprehendi HERODOTUM, quòd imperitè scripserit quædam de rebus Ægyptiis. Sed totum HERODOTUM propterea non jugulat. Scio quàm illi infestus fuerit PLUTARCHUS, cujus extat acerbus & propè famosus libellus περι τὴν κακονθεΐας τῆς Ἡροδοτοῦ. (*) Sed viderit, ne suo in eum odio indulgens, sibi ipsi alicujus κακονθεΐας (**) notam inurat. Saltem meminisset, quod HERODOTUS ipse non uno loco protestatur, sese quædam recitare, ut ab aliis accepit, licet fidem illis suam non astringat. Sese enim quædam non posse non referre, quæ tamen vera esse, credere non teneatur. Quid dicam PLUTARCHUM ipsum in suis vitis, HERODOTUM testem quinquies citare, nec nisi semel reprehendere? CTESIÆ quoque ascribit τὸ μυθῶδες (***) . Sed nihilominus sæpe utitur ejus testimonio. Ergo & ZENOPHON bis laudat hujus CTESIÆ historiam. Laudat & PAUSANIAS in Bæoticis: & denique noster TERTULLIANUS in Apolog. Itaque ne ejus quidem ἐκλογὰς (****) de rebus Persicis, quæ nuper editæ sunt, plane contemnere ausim. Sed quæ superioribus

Z 4

annis,

(*) De malâ consuetudine Herodoti.

(**) Malæ consuetudinis.

(***) Fabulosum commentum.

(****) Eclogas.

annis, ANNIUS quidam monachus protulit fragmenta BEROSO inscripta, miror tam facile multis etiam doctis imponere potuisse. BEROSUM Chaldaeum, qui fuit sacerdos *Beli* (ut ait TATIANUS) tempore ALEXANDRI, saepe meritoque laudari à veteribus scio: quem quidem JOSEPHUS *libro 1. contra Apionem*, narrat descripsisse res Babylonicas abs Diluvio usque ad Judaeorum in Babyloniam abductorum captivitatem, asseritque ejus non esse fabulosam historiam, quæ & cum Judaica historia habeat multa communia, & cum antiquissimis Phœnicum Archivis consentiat, & quam comprobari ait TATIANUS ex JUBÆ Regis historia de Assyriis. Sed tantò magis doleo, cum illius commentarios intercidisse, tum verò eorum loco adulterinas quasdam rapsodias suppositas esse. Nam etsi in iis agnoscam nonnulla, quæ notha non esse, ex JOSEPHO intelligo: tamen plura sunt supposititia, quæ alioqui abs JOSEPHO non fuissent præterita: quædam etiam in illa farragine video esse præterita: quæ JOSEPHUS ex BEROSO recitat. Itaque in lectione adhibere oportet judicium, & delectum; ut neque confusè (quod quidam faciunt) vera cum falsis repudiemus: neque rursus temerè (quod hâc ætate plures illius BEROSI lectores fecerunt) falsa cum veris complectamur. Meruit BEROSUS statuam Athenis in Gymnasio, linguâ inauratâ, ut PLINIUS (*) ait. Meruit

&

(*) *Lib. VII. Cap. 37.*

& JOSEPHUS Romæ. Sed neque eorum idola adoremus, neque temere omnibus, quæ scripsisse dicuntur, fidem habeamus. Age verò nihil nobis sit antiquius, quàm ut in historia fabulas, tanquam scopulos, fugiamus. Sed quænam cautio erit, ut ab iis nobis caveamus? præsertim, in hac extrema mundi ætate, cum multarum rerum ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura: cum tanta sit oblivio antiquitatis: tam obscuri ejus recessus: tam profundæ tenebræ: & interea tam tectæ sint insidiæ fabularum, & impostura tam astuta, cum quidem falsum sit & esse dicatur, non tam immutatio, quàm imitatio veri. Equidem agnosco in historia esse obscuram quæstionem facti, non solum alieni, sed & abs nostra memoria (ut ait CICERO) remoti: & propterea prudentissimum quemque in eo genere (ut Jurisconsulti ajunt) falli posse. Scio eam ab alieni testimonii fide pendere, & rem propterea esse valde lubricam. Sed si cautiones tamen adhibebimus, quas & debemus, & possumus: neque temerè fallemur, neque in justam reprehensionem nostra persuasio incurret: aut si interdum fortè errabimus, ita cum multis bonis & sapientibus errabimus, ut neque turpis error sit, si quis sit, neque possit facile convinci. Vetus & prima sapientiæ lex esse dicitur, non temerè credere. Ergo facessat fatua, temerariæque credulitas. Nam & eam culpâ non carere, Jurisconsulti rectè pronunciant: & toties non solum falluntur qui scribunt, sed

& iis affingitur, quod nunquam scripserunt, ut cauta inquisitio valde sit necessaria. Cæterum est etiam quædam nimium morosa, nimiùmque diffidens ἀπιστία. (*) Quæ quidem nisi simul faceat, nullum ulli historiæ locum relinquet: & verò non ingenui, sed impudentis atque præfracti hominis est, etsi quid probabiliter dicatur quod & gravem auctorem, testemque habeat, tamen id contumaciter tanquam falsum repudiare, cum quidem neque quod affirmatur, refellere, neque cur illud repudiet, causam dicere possit. Equidem quoties bonos & graves historicos lego, statim cogito vetus illud: Aut hoc testium satis est, aut nescio quid sit satis.

§. XII.

Sed est alicujus artis atque judicii, discernere, cui potissimum fides habenda sit, præsertim, si, ut in historicis scriptoribus sæpè accidit, dissentire videantur. Leges & Jurisconsulti negant, se commodè posse ea de re statuere: sapientis verò judicis esse ajunt, in re præsentì cavere, ac quidem etiam eum expendere debere testimonium, quod integræ frontis homo dixerit. Non est meum de scriptoribus pronuntiare, neque tam odiosam censuram suscipere vellem. Sed profectò sæpè conqueri cogor, quod THUCYDIDES conqueritur, multos (ut ille ait) ἀταλαιπώρους (***) fuisse in veritate per-

(*) Incredulitas.

(**) Laborum expertes, seu incuriosos.

pervefiga
maximam
ris esse,
nibus hist
quatur,
sunt, fide
antiquita
ingenuè
semper cu
rant, excu
hoc genere
ri mendur
fare. Equ
scio: nequ
bor est do
mendacii
id nos fer
mus. D
tio, abs
qui specio
falsa in
multi circ
gum cont
los satis e
que putat
semper te
nos in lec
les ab ARIS
neque
dum neque

(*) Lib.

pervestiganda. Memini POLYBIUM scripsisse maximam & difficillimam partem historici operis esse, rectè & sapienter judicare de scriptoribus historicis. De eorum oratione non loquitur, sed de testimonio, & ea, qua digni sunt, fide. Quid nos? verecundè quidem (nam antiquitati quædam reverentia debetur) sed ingenuè tamen & liberè (veritatis enim major semper cura esse debet) quod libri nobis narrant, excutiamus. LIVIUS (*) aliquando in hoc genere dixit malle se scriptoris, sive librarii mendam, quàm auctoris mendacium accusare. Equidem mendis refertos esse libros scio: neque in iis delendis postremus nunc labor est doctissimorum hominum. Verùm & mendacii arguendi multiplex est ratio: neque id nos semper fallat, atque fugiet, si cautè agamus. Denique diligenter cavendum esse sentio, abs libris supposititiis, atque adulterinis, qui speciosum magni alicujus auctoris nomen falsâ inscriptione mentiuntur. Tales enim multi circumferuntur: quorum nunc catalogum contexerem, nisi si hac ætate nothos illos satis esse notatos, atque abdicatos abjectosque putarem. Quid pluribus opus est? Illud semper teneamus & perpetuò meminerimus, nos in lectione historiarum esse debere, quales ab ARISTOTELE esse dicuntur, qui neque pueri, neque senes sunt, qui (inquam) ad credendum neque nimium faciles, neque nimium difficiles

(*) *Lib. XXXIX. Cap. 55.*

ficiles sane. Ούτε (inquit) πᾶσιν πισεύοντες, οὔτε πᾶσιν ἀπιστοῦντες. (*) Scitum profectò est & illud HESIODI, πίσεις καὶ ἀπιστίας ὄλε- γαν ἄνδρας. (**). Verum rectè quoque aliquis vicissim dixerit, modò πίσεις, (***) modò ἀπιστίας (****) esse utiles atque salutares. Non colligo hæc diæteria, talésque sententias, sicuti pueri apophthegmatibus tanquam emblematis suas in schola declamationes ludendò pingunt, quorum paulò post cum inani sonitu memoria fugiat. Sed quod seriò dico, tenebo, atque urgebo, & in re presenti postea ostendam non fuisse otiosam aut ludicram præmonitionem. Interea & illud nunc mihi in mentem venit quod AUGUSTINUS scripsit *de utilitate credendi*. Quia verò liber extat, & legi ab omnibus facillè potest, & eum totum legi velim, nunc ex eo illud tantùm repetam, quod ait, intelligere, semper sine vitio esse: credere, aliquando cum vitio: opinari nunquam sine vitio. Credere tunc esse culpandum, quum vel de DEO indignum aliquid creditur, vel de hominæ facillè creditur. In cæteris rebus, si quis quid credit, quod se nescire intelligat, nullam esse culpam. *Credo enim*, (inquit) *sceleratissimos conjuratos virtute Ciceronis quondam*.

(*) Nec omnibus credentes, nec omnibus diffidentes.

(**) Credulitates, & incredulitates viros perdidderunt.

(***) Credulitates.

(****) Incredulitates.

nam esse interfectos. Atqui id non solum nescio, sed etiam nullo pacto me scire posse, certò scio. Hic AUGUSTINUS scire dicit, quod ita intelligimus, ut certà mentis ratione teneamus: ut scire rationi, sicuti credere, auctoritati tribuatur. Ideoque omnem intelligentem etiam credere dicit, sed non omnem, qui credit, intelligere. Verum subtiles illas distinctiones nunc omitto. Adjiciam verò quod in *Epistola centesima trigesima prima*, cum alias liberales disciplinas acerbè notaret: historiam autem magis laudaret, cum sive bona, sive mala hominum, tamen vera, narrantur: adjecit, quamvis in eis cognoscendis scriptores, qui Spiritu sancto non adjuti sunt, rumorésque colligere ipsa humanæ infirmitatis conditione compulsi sunt, quemadmodum non fallerentur in plurimis, omnino non video. Est tamen in iis aliqua propinquitas libertatis, si voluntatem mentiendi non habent, nec homines fallunt, nisi cum ab hominibus humanâ infirmitate falluntur. Sed AUGUSTINUM nunc missum faciam, & alios nostri ordinis potiùs consulam, qui de eo, de quo quæritur, aptiùs respondent. Jurisconsulti & leges civiles ajunt, aliam esse testium, qui rogati audiuntur: aliam testimoniorum, quæ leguntur aut recitantur, auctoritatem: & testibus potiùs quàm testimoniis esse credendum admonent. Quid nos in historiæ causa? Certè in ea, præsertim quæ nostræ ætatis non est, testimonia legere possumus, testis præsentem audire non possumus. Sed ut olim Senatus

cen-

censuit, monumenta publica etiam potiora testibus esse, quemadmodum noster MARCELLUS (*) ait: Sic & publicis actis non minus quam actoribus fidem adhibendam esse putamus, si eorum nullus error arguatur. Certè quod ULPIANUS noster dixit, veritatem rerum, erroribus gestorum non vitari, imprimis tenendum est. Sed ubi falsa illa esse non probantur, cur vera esse negabimus? Equidem optarem, ut scriptores ea demum narrarent, quæ viderunt, quibusque interfuerunt: quod & POLYBIUS profitetur sese in historia imprimis desiderare, & veteres planè postularunt, qui earum proprie rerum historiam esse dixerunt, quibus rebus gerendis interfuerit is, qui eas narrat, quòd historia Græcè significet rerum cognitionem præsentium, ut ex VERRIO FLACCO refert AULUS GELLIUS. (**) Verùm si ii auctores non occurrant, qui testes oculati sint, & possint dici *αυτόπται*: (***) proximum est, ut eos, qui quod ab aliis acceperunt, bona fide narrant, audiamus, præsertim si & iis ætas ipsa & antiquitas & virtus fidem atque auctoritatem conciliet. SENECA hos, qui se non vidisse fatentur, sed ab aliis audiisse affirmant, secundæ notæ testes esse ait. Sed neque ii semper abs Jurisconsultis rejiciuntur. Nam & cùm quæreretur, an operis facti memoria

(*) L. 10. π. de probat.

(**) Lib. V. Cap. 18.

(***) Testes oculati.

moria exta
 noc quære
 adierit o
 vidissent a
 curandum
 terit, & g
 semper tel
 ba imprim
 velim esse
 quoque scri
 tolos non fu
 verbis rem e
 care. Nequ
 vimus, quin
 ritate, aude
 omnino ve
 temerè oli
 Legatos m
 quibus acc
 in recitation
 bemus bona
 riora sunt, in
 Jurisconsult
 instrumente
 exempla v
 archetypa
 nius histori
 que (ut ita di
 recationibus
 narrationis r
 oregræ?

(*) Latè.

moria extaret, olim responderunt, ἐν πλάττει (*) hoc quærendum esse num quis vel viderit vel audierit opus fieri, vel ab iis acceperit, qui vidissent aut audiissent. Cæterum illud saltem curandum est, ut & optimum, qui haberi poterit, & gravissimum, qui rogatus occurrerit, semper testem audiamus, ejusque ipsius verba imprimis recitemus. Nam & in iis nos velim esse religiosos. Equidem scio veteres quoque scriptores historiarum, tam supersticiosos non fuisse, quin auderent aliis atque aliis verbis rem eandem efferre, illustrare, amplificare. Neque nos tam in aliorum verba juravimus, quin, salvâ modò & integrâ rerum veritate, audeamus idem factum non iisdem omnino verbis aliquando recitare: tamen non temerè olim laudatos esse sciam illos Roman. Legatos missos Tarentum, quòd legationem, quibus acceperant verbis, peregerint: Sed ut in recitatione tamen alieni testimonii, esse debemus bonæ fidei: sic testimonia quæ sinceriora sunt, imprimis sunt proponenda. Certè Jurisconsulti, cùm de probationibus & fide instrumentorum agunt, non hærent in iis, quæ exempla vocantur: sed Authentica & veluti archetypa requirunt. An nos in antiquæ alicujus historiæ quæstione, antiquissimos illos atque (ut ita dicam) classicos testes postponemus recentioribus? An secundæ atque interpolatæ narrationis major erit fides, quàm primæ & integræ?

§. XIII.

(*) Latè.

§. XIII.

Mitto illud, quod ARISTOTELES *lib. I. Rhetor.* loquens de testibus, *πιστότατοι* (inquit) *οἱ παλαιοί, ἀδιάφοροι γὰρ.* (*) Sed iterum dico, quò posterior & magis nova est rei antiquæ narratio, tantò mendosior eam esse solere. Nam & ut vinum quò magis transfunditur, evanescit magis, tandèmq; fit vappa: utque fama ipsa, quò longiùs progreditur, longiùs recedit à vero, plùsque colligit vanitatis: sic & persæpe historia, quæ à pluribus repetita variè jactatur & aliis atque aliis verbis recitata spargitur, tandem contaminatur & in fabulam degenerat. Neque verò non fero plures esse unius alicujus rei scriptores. Quinimo quamplurimos, quos conferre possim, esse opto. Quàm enim utilis hæc collatio sit, scio. Sed tales esse velim, quorum justa & gravis sit auctoritas. Primòque loco primos quosque, quos secuti posteriores sunt, legendos esse censeo: & quid iis alii deinde assuerunt, discernendum esse statuo. Sic (inquam) imprimis antiquissimos: pòst verò, ut quisque illis proximus ætate est, suo quemque loco & ordine, si hoc auditorio non sit indignus, audiri, & quid priori posterior addiderit, observari cupio. Historiæ enim plerumque ea est conditio, quæ famæ. Nam & vires acquirit eundo (ut ait Poëta) (**) *parva metu primùm.* Sed facilis

cautio

(*) Fide dignissimi Antiqui, nam incorrupti.

(**) *Æneid. Lib. IV. v. 175.*

cautio est, si ad primos auctores recurramus: neque rivulos nuper deductos pro ipsis fontibus nobis objici patiamur. Atqui si ita, ut dixi, agimus, non poterit una aliqua historiae universae perpetua oratio eleganter & æquabiliter contexi, atque perpoliri. Fateor: Sed historiam veram, non Rhetoricam fabulam, aut scholasticam declamationem expeto. Quam alii verborum continuam concinnitatem, ac semper similem perpetuæ, politæque dictionis æquabilitatem hinc requirant, ipsi viderint. Ego rerum & constantem, & sinceram, & simplicem, & castam veritatem in historia imprimis requiro: & ubi erudita fuerunt tempora, eruditè abs veteribus descriptam esse agnosco. Neque non me movet, quod VALERIUS MAXIMUS (*) exclamat. *Quis compos mentis, domestica peregrinaeque historiae seriem, felici superiorum stylo conditam, vel attentiore cura, vel præstantiore facundia, traditurum se speraverit?* Denique existimo, rectè abs PLUTARCHO in NICEA reprehensum, atque irrisum TIMÆUM historicum, qui stulta quadam ambitione voluit, quod abs THUCYDIDE elegantissimè scriptum erat, aliis verbis efferre: quasi THUCYDIDEM, quem ne longo quidem intervallo sequi vel imitari poterat, superare posset. Ergo PLUTARCHUS graviter judicat, ambitiosam ejus contentionem fuisse hominis vani, eamque similem esse vanitati puerorum in scholis declaman-

(*) in Prolog.

mantium. Quid dicam, eos, qui historias olim rectè scriptas interpolant, non modò, ut sua furta tegant, rerum fidem & veritatem corrumpere; sed & verborum ornamenta sæpè abjicere?

§. XIV.

Non utar exemplis novis. EUSEBIUS *libro περι παραση*, ex PORPHYRII quodam de furtis veterum scriptorum libro, notat THEOPOMPUM: qui quæ abs XENOPHONTE descripta erant bene, & eleganter, non modò sibi adscripserit, sed & immutando corruperit. Atqui si hæc unquam interpolatio vitiosa est, est imprimis in historia. Itaque etsi olim quippiam scriptum esset fideliter magis, quàm politè: tamen non est temerè nova oratio subornandà. Saltem quæ veterum in formulis religio fuit, ea nunc esse debet in historiis. Non reprehendo LIVIUM, qui quæ Græcè scripserat POLYBIUS, latinè scribit: suum licet *librum XXI.* ex illius *libro tertio* propè ad verbum descripserit, & transferendo veluti *καταπόδας* (**) sit interpretatus. Laudo potius quòd eadem dicat de iisdem: etsi miror eum tunc non laudare suum auctorem. Nihil jam dicam de aliquot PLUTARCHI in *Crasso* paginis de bello Parthico, quæ in libris quoque APPIANI repetitæ leguntur. Factum id esse suspicor, non ab ipso APPIANO, qui PLUTARCHO fuit æqualis: sed

(*) Vestigiis inhærendo.

sed à librariis, ut supplerent aliquam in *Appiani* commentariis lacunam. Verùm etsi *APPIANUS* id fecisset, factum quidem aliquid haberet impudentiæ plagiariæ, & *PLUTARCHO* aliquam faceret injuriam, historiæ verò nullam. Ut breve faciam: dico nos jam recitatores potius esse debere, quàm novos auctores. Quæ autem fuerit antiqua lex, mósque vetus recitationis, notum est. Disputent alii de elocutionis coloribus: ego nunc veritatis causam ago: et cum de facto ac Jure, maximisque de rebus in ea quæritur, ineptum esse puto de sola verborum elegantia quærere. Et cujus tandem erit aut fidei, aut juris, aut judicii; res verbis, potius quàm verba rebus subjicere? Saltem fas non esse puto, bonorum testium verbis antepone re nostra. Non vitupero quod *ANTONIUS SABELLICUS* avorum nostrorum memoriâ sedulo tentavit, perfecitque. Improbus essem, & ingratus, si doctissimi hominis maximos in universa historia contexenda labores non laudarem. Sed tale tamen exemplum nunc imitari non instituti. Nam & incorrupta veterum testimonia finè ulla interpolatione potius legi debere existimo: neque novam iis orationem affingere, & tanquam alienam vestem assuere, velim: neque pro eorum verbis mea supponere auderem, ne & pro melioribus deteriora subjiciam, & historiam non tam ornare videar, quàm mendosam, mendacemque efficiam: neque sanè testi, cujus narrantis ab ore (ut ille ait) pendere debeo, dictare atque præ-

scribere possum, quid & quomodo dicat: *Ex res ipsa loquitur, ecquid accidat, cum rerum olim gestarum narratio, nunc pro cuiusque affectu vel fingitur, vel interpolatur, vel componitur.* Redeo ad veritatis in historia observationem. Atque, ut antea dixi, in historiae universitate imprimis observandam esse historiam Ecclesiasticam: sic jam iterum, & singulariter præmoneo, à fabulis in ea imprimis cavendum esse. Nam & in ea demum fabulæ multæ & mirabiliter tectæ occurrunt: & multò hinc periculosior, quàm in rebus civilibus, error est.

§. XV.

Obsecro, quid ad corrumpendam, contaminandam, multisque modis defœdandam, atque inquinandam veteris Ecclesiæ memoriam, quid (inquam) dolo malo non fecerunt Ethnici, Judæi, Hæretici? Quid fatua, credulæque superstitione imprudens non affinxit? Etsi tantum loquerer de Apostolorum temporibus: quanta fuit, ubi minimè licebat, fraus impostorum? Vetus est, nec mea, sed ARNOBII, hæc quærela: Multa quæ de CHRISTO, & Apostolis scripta erant, aut malevolentiam Dæmonum, quorum cura & studium est, intercipere veritatem, aut similibus his hominum, interpolata sunt: quædam addita, quædam detracta verbis, syllabis, litteris, ut & prudentum tardarent fidem, & gestorum corrumpere auctoritatem. Hæc ARNOBIUS. Factum est singulari Dei beneficio, ut illorum nebulonum insidias

stite &
omnium
impuder
Apostol
bant, m
inferis
id facere
fallarios
fateor. (C
Petri Apo
mam in
fabulas af
MENTE VIV
singulas r
sibi cave
potuit, c
stolæ, q
appellata
FRANCIUS,
his prælec
tiones occ
multis mo
parte ope
fallum p
ne verum
ubi tot in
dandam e
qui memi
Sed quore

(*) Cir
(**) Re
(***) In

fidiae & fraudes detectae sint: utinam fuissent
 omnium, qui eos secuti sunt. Certè nimium
 impudentes fuerunt olim Manichæi, qui LUCÆ
 Apostolicam historiam, cui fidem habere vole-
 bant, mentiebantur esse ab aliis corruptam, &
 infertis fabulis contaminatam. Sed cùm eos
 id facere voluisse scio, tum verò antea multos
 falsarios impostores tale quippiam conatos esse
 fateor. Quid? Scripserat CLEMENS ROMANUS
 PETRI Apostoli περιόδου. (*) Iis libris statim
 manum injicit Ebion, & clam multas putidas
 fabulas aspergit, atque affuit, ipso adhuc CLE-
 MENTE VIVO. Id CLEMENS cùm intellexisset,
 singulas mox Ecclesias percurrit, monens, ut
 sibi caveant: & quas præsens convenire non
 potuit, commonefecit per Epistolas: quæ Epi-
 stolæ, quia huc & illuc missæ discurrebant,
 appellatæ sunt Encyclicæ; testisque est EPI-
 PHANIUS, suo adhuc tempore publicè in Eccle-
 siis prælectas fuisse. Utinam tales semper cau-
 tiones occurrissent ejus generis fraudibus! Ne
 multis morer: video, rem eò rediisse, ut in hac
 parte operam dare debeamus, non modò ne
 falsum pro vero temerè arripiamus, sed etiam
 ne verum pro falso facilè rejiciamus. Fateor,
 ubi tot insidiae sunt, & est tantùm periculi, lau-
 dandam esse timidam eorum εὐλάβειαν, (**)
 qui meminerunt, non temerè esse credendum.
 Sed quorundam rursus nimia est ἀπιστία, (***)

A a 3

qui

(*) Circulares.

(**) Religionem.

(***) Incredulitas.

qui nihil credunt, quàm quod ab uno aliquo scriptum erit: ut de Apostolorum temporibus nihil dici volunt, quod ab ipso LUCA non sit expressum. Atqui LUCAS PAULI potissimum historiam contexere voluit. Et rursus in ea quaedam pretermisisse indicat ipsius PAULI ad *Galatas Epistola*. De *Simone Mago* loquens, simpliciter narrat, eum in sua Samaria commotum increpatione PETRI, agnovisse suum peccatum. Sed an propterea clamitabimus esse falsum, quicquid præterea de eo narrant vetustissimi, & gravissimi auctores JUSTINUS, TERTULLIANUS, ARNOBIUS, EUSEBIUS, EPIPHANIUS, AUGUSTINUS? Longiorem hic locus orationem postularet. Sed in re præsentì commodiùs talia excutientur. Nunc tantùm simplici quædam, & generali præmonitione breviter utor.

§. XVI.

Quod dixi universæ, & veræ historiæ operam dare nos debere, ut de nostro, qui auditores, aut lectores sumus, sic & de scriptorum historicorum officio loquitur. Ac plura quidem de legibus, & ratione historiæ scribendæ dici posse scio. Sed quorsum ea ociosè nunc repeterem, quæ ipsi satis superque dixerunt, qui olim historiam scribere instituebant? Suum enim officium satis intelligebant. Neque illa dixerunt modò, sed & cumulatè, quod debebant, plerique præstiterunt. Ejus generis sunt hæc præcepta: ut habeatur delectus rerum narrandarum: ut narrentur res magnæ atque utiles

les: ut temporum & locorum notatione illustrentur: ut orationis luce commendentur: ut causæ, consilia, eventus explicentur. Quæ quidem omnia, non modò aliis, sed sibi ipsis magis præscripserunt, quæ observarent. Testem ex multis unum cito POLYBIUM. Neque si hoc illi non fecissent, aliunde potiùs quàm abs CICERONE tales leges repetendas esse putarem: qui quod de officio historicorum dici posset, optimè & brevissimè exposuit libro II. de Oratore Cap. 15. Nam posteaquam gravissimè judicavit de historicis Græcis, & Latinis, *Videtisne (inquit) quantum munus sit Oratoris, historia? Haud scio, an flumine orationis & varietate maximum. Neque eam reperio usquam separatim instructam Rhetorum præceptis: sita enim sunt ante oculos. Nam quis nescit primam esse historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat: deinde, ne quid veri non audeat, ne qua suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qua simultatis? Hæc scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Ipsa autem exædificatio posita est in rebus, & verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem. Vult etiam, quoniam in rebus magnis, memoriâque dignis consilia primùm, deinde acta, postea eventus expectantur, & de consiliis significari quid scriptor probet; & in rebus gestis declarari, non solum quid actum, aut dictum sit, sed etiam quomodo: & cum de eventu dicatur, ut causæ explicentur omnes, vel casus, vel sapientiæ, vel temeritatis: hominùmque ipsorum non solum res gestæ, sed etiam, qui famâ ac nomine*

excellant, de cujusque vita, atque natura. Verborum autem ratio, & genus orationis fusum, atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens sine hac judiciali asperitate, & sine sententiarum forensium aculeis persequendum est. Hæc ille. Quæ quidem, quia non modò eorum, qui scribunt, sed etiam aliorum, qui legunt ab aliis scriptas historias, officium exponunt, lubentur recitavi. Nam & nos admonent, si quid eorum non fecerint scriptores, quos legimus, quid facere nos oporteat, tametsi nobis rerum magis, quàm verborum studium curæ esse debere, dictum antea sit. Neque verò dubito, quin CICERO (liceat nunc mihi de historicis cogitanti in hujus recordatione acquiescere) si historiam, quam meditabatur, contexuisset, felicissimè illa, quæ præscribit, omnia observasset, atque præstitisset? Non enim audio PLUTARCHUM, qui fingit & fabulatur, eum cogitasse, Græcorum fabulas, & orationes in historiam transferre. Qui CICERONIS ingenium satis novit, quàm omnia facturus esset & rectè, & sapienter, & politè, minimè dubitabit. Scripserat adolescens *Marium*, hoc est, rerum abs *Mario* gestarum historiam elegantè poëmata descripserat, quo tempore juris discendi causâ ad MUCIUM SÆVOLAM ventitabat. SÆVOLA miratus adolescentis ingenium, de libro illo vaticinatus est, *Canescet sæculis innumerabilibus*. Nam & sapientissimus Jurisconsultus tam gaudebat, eum cum Juris Civilis studio conjungere studium historiæ, quàm hanc

con-

conjunctio
ascens C
que viro
quantum
historicu
Eum, m
alioqui p
fille. Ce
suum histo
atque adeò
eocudem
libro duodec
quit) fero,
& LIBONIS
tissimus se
aliquid fir
storiæ p
census,
cum satia
quanta re
Mito, qu
quem tam
Romanae
præterea
ter eum
cum coji
Libro secu
quit) aser
michore pot

(*) Cop.
(**) Ep
(***) E

conjunctionem studiorum requiro. Si tam adolescens CICERO tam citò admirabilis tali, tantòque viro esse, visus est in historia: qualem, quantumque putamus, cum vir aut senex esset, historicum esse potuisse? Sed illud nunc dico: Eum, ne illos quidem, qui minus in historia alioqui præstiterunt, quod debebant, contempnissse. Certè libro primo de Legibus (*) VENONIUM historicum refert inter eos, qui exiliter, atque adedò negligenter scripserunt. Atqui ne eo quidem carere se posse, alibi significat. Nam libro duodecimo ad Atticum (**), Molestè (inquit) fero, me Venonii historiam non habere. Sed & LIBONIS annali utitur. Nempe homo sapientissimus sentiebat, quantumvis alioqui exile aliquid sit, tamen esse magnum, quod ad historiam pertineat: hocque studio tam erat incensus, ut nihil quicquam negligeret. Ergo cum satiari non posset, simulque prospiceret quanta res ageretur: & se, & alios incitavit. Mitto, quàm valde urgeat illum LUCCEIUM, quem tam præclarum & excellentem historiæ Romanæ scriptorem fuisse significat. Alios præterea certatim impellebat: viderurque inter eum & Q. FRATREM, & POMONIUM ATTICUM cojisse quoddam hujus studii collegium. Libro secundo ad Q. Fratrem (***) Quod (inquit) ascribis, aggrediarisve ad historiam? Me auctore potes. Sed & cum libros de Oratore ad

A a 5

eum

(*) Cap. 2.

(**) Epist. 3.

(***) Epist. 13.

eum misisset, & in iis libris illud de historia scripserat, quod paulò ante dixi: satis profectò eum monuerat. Quid ATTICUS? Hic ad *Marcum* uno volumine totam antiquitatem (ut ait CORNELIUS NEPOS) ita exposuit, ut nullam non legem, pacem, bellum, rem illustrem populi Romani suo tempore notaverit. Quem librum cùm CICERO (cui erat inscriptus) legisset, quo tempore Rempublicam perditam lugens mœrebat, exclamavit, eo libro non sibi delectationem modò, sed & salutem allatam esse, sicuti narrat in *Bruto* (*). Interea verò quasi si nondum quicquid actum esset, & Q. FRATER & ATTICUS ipsum CICERONEM urgent, ut historiam scribat: quam ajunt jamdiu ab eo non solùm postulari, sed etiam expectari: quasi hæc adhuc abs literis Romanis absit, & eam ille non modò possit, sed & debeat præstare, & quidem Reipublicæ debeat. Ipse etsi occupationes excuset, & ocium liberum ad eam rem desiderare se significet, tamen non dissimulat, nihil sibi esse antiquius, quàm se illi studio totum tradere. Nam & libro decimo sexto ad Atticum (**), *Historiæ* (inquit) *studio ardeo. Incredibiliter enim me commovet cohortatio tua.* Neque tamen non lubenter ipsum ATTICUM in historia suam veluti magistrum agnovit. Quàm enim eum & sæpe & lubenter consulit de temporibus, Magistratibusque Romanorum? Quàm suos ab eo libros casti-

(*) *Cap. 3.*

(**) *Epist. 13.*

castigari
pi? Qui
riose sin
de Tur
Athenie
sa, quæ
tionibus
clamat,
mul aute
simili rati
Quintus F
me rogat,
Sed & hu
Probus, c
cipum &
NUM AT
quam il
BRUTUS
pe lauda
tales in hi
venur? (C
(inquit) e
tenebris o
Quàm m
tuendum,
morum c
Latini vel
ministran
mentem n
lentium ce

(*) Lib
(**) C

castigari non jam dico patitur, sed petit, & cupit? Quàm diligenter etiam disputat, & curiosè singula scrutatur? Ut cùm de FANNIO, de TUDITANO, de CARNEADE & eâ legatione Atheniensium, quæ Romam venit Oropi causa, quærit. Denique ubi ATTICI talibus quæstionibus respondentis iudicium audiisset, exclamat, Habeo à te munus elaboratum. Simul autem & hunc suum Fratrem QUINTUS simili ratione consulebat atque appellabat. *Quintus Frater* (inquit MARCUS ad *Atticum* (*)) *me rogat, ut Annales suos emendem, & edam.* Sed & huic collegio adjungebatur AEMILIUS PROBUS, qui vitas excellentium Græciæ Principum & Ducum latinè scripsit ad T. POMPONIUM ATTICUM, ne non integra esset historia, quam illi tunc versabant. Imò verò & ipse BRUTUS accessit, cujus Epitomas historicas sæpe laudat CICERO ad *Atticum*. Ecquid, cùm tales in hisce studiis duces habemus, commovemur? CICERO pro *Archia* (**), *Plena est* (inquit) *exemplorum vetustas, quæ jacerent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accederet. Quàm multas nobis imagines, non solum ad intuendum, verùm etiam ad imitandum, fortissimorum virorum expressas, scriptores & Græci & Latini reliquerunt? Quas ego mihi semper in administranda Republica proponens, animum & mentem meam, ipsâ cogitatione hominum excellentium conformabam.* Hæc ille de se: sed non solus.

(*) *Lib. II. Epist. 16.*

(**) *Cap. 6.*

solus. Equidem sentio me jucundâ horum virorum recordatione longiùs fortasse abduci à proposito. Verùm ab eo non sunt aliena quæ ad hujusce studii contentionem commendandam pertinent: & si fortè meis in hoc genere affectibus indulgens, non solum recreor CICERONIS & amicorum ejus, virorum clarissimorum, nobili exemplo: sed & quod ejus memoria suggerit, lubenter repeto, credo non injustam videri posse causam miscendæ & propè perturbandæ nostræ orationis. Ergo & alterum in eadem urbe, & Republica hominum amplissimorum, ejusdem ætatis atque etiam dignitatis, veluti collegium ad historiam excolendam conjuratum, quod nunc occurrit, laudabo. Dico societatem SISENNÆ, HORTENSHI, & LUCULLI, quæ & CICERONEM excitasse, atque inflammasse videtur ad honestissimam siue imitationem, siue æmulationem.

§. XVII.

Valeant III. viri R. P. C. illos III. viros historiæ constituendæ tam Reip. profuisse sentio, quàm alii obfuerunt. SISENNAM historicum quanti fecerit CICERO, notum est. SISENNÆ familiaris erat HORTENSIVS, ille (inquam) HORTENSIVS, cujus eloquentiam cum sæpè aliàs CICERO prædicavit, tum verò in suo *de Philosophia Dialogo*, historiæ studium incredibile fuisse significavit: ut mirari non debeamus si & eum historiæ auctorem bonum, aliquando laudet *ad Attic.* & illius Annales prædicet

VEL-

Vallius P
riorum.
num adole
TENSIO in
& utrumq
ro provoe
tasse vider
ad id, und
instat, per
supereffe ser
præcepta de
Oratores pa
Oratorem p
cunque sint
diosè legam
materiam
& qui aliu
rectè utan
stræ cura h
quam inflit
manam. S
lucis & orne
poteit, que
scriptore.
ait, sese ve
temporibu
quando sim
mibi hanc it
quibusdam
se scripsisse

(*) Lib. I.

VELLEJUS PATERCULUS *libro secundo suarum histori-
arum.* Quid de LUCULLO dicam, qui etiam-
num adolescens, neque SISENNÆ, neque HOR-
TENSIO in hoc studio cedere se gloriatus est:
& utrumque tanquam sponsione, & sacramen-
to provocare ausus est? Sed de eo postea for-
tasse viderimus. Nunc ut ad CICERONEM, &
ad id, unde sum digressus, revertar, & quod
instat, persequar: Fateor tam propè paucos
superesse scriptores, qui CICERONIS secuti sint
præcepta de ratione historiæ scribendæ, quàm
Oratores pauci fuerunt, qui ad perfectum ejus
Oratorem proximè accesserint. Sed quales-
cunque sint, qui supersunt: eos tamen si stu-
diosè legamus, dabunt, quam quærimus saltem
materiam & informationem historiæ. Nam
& qui aliud agere videntur, hoc facient, si iis
rectè utamur. Neque postrema lectionis no-
stræ cura hæc esse debet. Non scripsit CICERO,
quam instituerat, & meditabatur, historiam Ro-
manam. Sed ex reliquis ejus libris tantum &
lucis & ornamenti repeti, atque referri ad illam
potest, quantum ex alio quoquam historico
scriptore. In quadam *ad LENTULUM epistola* (*)
ait, sese versibus tres libros scripsisse de suis
temporibus. Juvat, quinam ii fuerint, aut
quando sint scripti, scire. Itaque liceat nunc
mihi hanc inquisitionem interponere. Audio,
quibusdam videri eos esse libros, quos alibi ait
se scripsisse de suo Consulatu. Sed eos, de
quibus

(*) *Lib. I. Epist. 9.*

quibus quærimus, potiùs crediderim scriptos post discessum LENTULI Procons. in provinciam, hoc est, aliquot annis posteaquam de suo Consulatu scripserat CICERO, de quo scripsisse videtur *L. Afranio & Q. Metello* Cons. Ac quidem cum de eo suum carmen passim decantari vellet, illos de suis temporibus versus, etsi ad *Lentulum* mittere non recusaret, vix tamen alioqui edendos esse putabat. Conjecerit fortasse aliquis fuisse ἀνεκδότους: (*) quales sese pangere Theopompino genere, aut etiam asperiore, fatetur *Lib. II. ad Attic.* (**) ut intelligamus fuisse propè Satyricos. Sic enim & THEOPOMPUS in suis historiis multos asperè, atque acerbè notaverat. Sed & *Lib. XIV. ad Attic.* (***) significat CICERO, sese librum quendam ἀνεκδοτον (****) perpolire, quem post mortem Cæsaris scripserat. Et DIO ei ascribit quoddam βιβλιον ἀπόρρητον. (*****) Utinam verò quæcunque vir ille de suis temporibus, quibus mirifica fuerunt in Rep. mysteria consiliorum, liberè scripsit, nunc evulgari possent! Nunc enim sinè ejus fraude scire possemus, quod valde nostrâ interesset non ignorare. ASCONIUS præterea testatur eum scripsisse quendam librum, quem vocaverit Expositionem suorum consiliorum. An quicquam est, quod
magis

(*) Nondum vulgatos.

(**) *Epist. 6.*

(***) *Epist. 17.*

(****) Non editum.

(*****) Librum occultum.

magis desideret expositio historiæ Romanæ? Magnum ergo in ejus amissione damnum est. Sed nonne ex aliis ejus scriptis, quæ supersunt, repeti illa expositio utcunque poterit? Dixit olim CORNELIUS NEPOS, eum, qui legit CICE-
RONIS epistolas ad Atticum, non multum desiderare historiam contextam eorum temporum. Sic enim omnia de studiis Principum, vitiis Ducum, æmulationibus Reip. perscripta esse, ut nihil in iis non appareat. Quid si accedant aliæ ad alios ejusdem epistolæ? Scio multas intercidisse. Nam cùm audiam, eum scripsisse Epistolarum libros propè LXXX. ne dimidiam quidem partem superesse video. Sed quantumcunque tamen est, quod est reliquum, si diligenter relegatur, quantum conferet? Et quàm esset sinè eo subsidio non solùm jejuna, sed & arida (ne quid dicam graviùs) historia Rom.? Quàmque illo indicio freti multa in PLUTARCHO, APPIANO, DIONE, diligentissimis alioqui scriptoribus, notare vitia possumus? Quàm multa, quæ illi temerè præterierunt, observare? Itaque nuper mirificè sum recreatus, cùm audirem doctissimum *epistolarum ad Atticum* interpretem, & nobis, & Reipublicæ propterea pollicitum esse libros de mendosa historia: neque est quicquam, quod ab eo magis elicere velim: ac, si ex sponso, vel pacto nudo, & pollicitatione agere liceret, strictissimo judicio, vel præscriptis verbis agere hoc imprimis nomine instituerem. Neque verò ex epistolis modò, sed & ex Orationibus, & ex aliis TULLII

commentariis præclaram historiæ Rom. emendationem repeti posse sentio, quanquam sit aliqua cautio adhibenda, ne protinus rem æstimemus ex iis, quæ fortè oratoriè dixerit, ut foro, & causæ serviret, vel studio partium, magis sedato iudicio impulsus; vel etiam ex alieno stemacho potiùs, quàm ex suo sensu. Nam & ipse *pro Cluentio*, (*) *Errat* (inquit) *vehementer, si quis in orationibus nostris, quas in iudiciis habuimus, auctoritates nostras consignatas se habere arbitratur.* Sanè PLUTARCHUS in suis *Vitis*, historiæ auctorem sæpè, & lubenter laudat CICERONEM. Eum tamen mentitum esse in *Philippicis*, notat in *Antonio*, sicuti & ANTONIUM ipsum in refutatione *Philippicarum*, de CICERONE dixisse quod planè falsum sit, indicat. Ut autem ex CICERONIS libris dico amplissimam & uberrimam historiæ materiam repeti posse: sic etiam ex aliorum scriptorum, etsi historicos se esse non profiteantur, commentariis excerpere multarum maximarum rerum testimonia possunt, quæ alioqui nos fugiunt. Itaque non possum non eorum reprehendere negligentiam, qui cùm historias requirunt, eò non respiciunt. Quid de libris, aut chartis loquor? Nónne & veteres statuæ, ac picturæ, & lapidibus, aut nummis insculptæ inscriptiones, & denique quæ aulæis, vel peristromatibus intexta sunt, historiæ argumentum undique nobis suppeditant? Ergo, ut antea
dixi,

(*) *Cap. 50.*

dixi historiam, & universam & veram debere nos quærere: sic jam dico consequi posse. Et verò ni ita esset, non modò inanis, sed & insana esset cohortatio nostra. Sed quia vereor, quibusdam ad desperationem propensis id persuaderi vix statim posse, eos rogabo, & obtestabor, ne desinant bene sperare, priusquam in re præsentis senserint, nihil esse spei. Equidem etsi ingenio meo nihil tribuam, neque sit fortasse quisquam, qui mihi, quàm ego, tribuat minùs, & deesse meo studio propè omnia ad tantum opus necessaria existimem: tamen nulla me difficultas, quin ad id aggrediar, deterrebit. Nam etsi maxima facta sit bonorum librorum, veterumque monumentorum jactura: tamen eæ tanquam ex naufragio superstites tabulæ sunt, quibus si innitamur, in tam vasto Oceano navigationem conficere, atque etiam ad portum appellere poterimus: colligamus modò omnia, & cogamus studiosè, quæ singuli scriptores sparsim tradunt. Scio Duces aliquando defuturos in obscuris, & confragosis veluti scopulis, & eos qui præeunt, sæpe properando præterire multa, in quibus consistendum est: multa etiam confusè miscere, in quibus evolvendis sudabimus. Sed non profiteor sine magno labore confici posse, quod instituimus. Neque non memini, PLUTARCHUM in *Demosthene* prudenter monuisse, eum, qui historiam magnam conscribere vult, habitare debere in maxima civitate, multis doctisque viris & libris refertâ, ut, quoties hæ-

rebit, habeat, & quos consulat auctores, & quos rogare testes possit. Verùm etsi multis, quæ desiderarem, præfidiis destituar, tamen adsunt nonnulla, quæ me consolantur: quòdque DIONYSIUS Romæ se fecisse narrat, & alii olim eodem exemplo fecere diligentissimi scriptores, totum jam illud nobis partum paratùmque est, cùm eorum commentariis utimur. Nescio, debeamne hîc lugere monumenta, quæ interciderunt, an ea potius prædicare, quæ supersunt. Sed juvat admirari singularem DEI providentiam, qua factum est, ut & olim multis modis rerum præteritarum memoria conservata sit, & testes accefferint, qui eam consignarent, & eorum consignata testimonia, saltem aliqua, quæ omnium ætatum historiam conservarent, non perierint. Primis quidem aliquot sæculis & literæ, & scriptores defuisse videtur. Verùm & sine literis conservata est eorum memoria, atque etiam, quia per manus tradebatur, propagata. Quid dicam, multos populos scribi noluisse multa, quæ fideli memoriæ cujusque mandare & veluti imprimere volebant? Quid dicam, carminibus tantùm, quæ ediscerentur, & cantionibus, quæ jactarentur, vulgata diu fuisse, quæ postea tandem literis consecrata sunt? Fateor tamen multa esse amissa. CICERO in *Bruto*, (*) *utinam* (inquit) *extarent illa carmina, quæ multis sæculis ante suam ætatem in epulis esse cantitata à singulis*

con

(*) *Cap. 19.*

coricis de
gibus feri
delicis vet
tas quoq
PLUTARCH
posteritatis
men non d
& quod Ge
quar) olim e
CORNELIUS
ignorasse qui
uis carminib
erud eos me
& lib. II. (**
(inquit) ad
Annalibus
HARDUS, bo
nunc volo,
wa (inquit
Regum
memoriaque
imus nobile
uper reper
euntur ell
men, tanq
rent nostre
inter sese
rum intelli
nt, in quib

(*) de mori
(**) Annal.

convivis de clarorum virorum laudibus, in Originibus scriptum reliquit Cato. Quia talibus deliciis veteres sua convivia condirent, historias quoque olim vocatas esse Bellaria scribit PLUTARCHUS. Verùm etsi obliviosæ & mutæ posteritatis silentio sepulta multa perierint, tamen non dubito pleraque in literas esse relata: & quod Germanis (ut de aliis nunc non loquar) olim accidit, multis populis accidisse. (*) CORNELIUS TACITUS ait, veteres Germanos ignorasse quidem secreta literarum: sed antiquis carminibus usos esse, fuissèque hoc unum apud eos memoriæ & Annalium genus. Unde & lib. II. (**) loquens de ARMINIO, *Canitur (inquit) adhuc barbaras apud gentes, Græcorum Annalibus ignotus.* Quid igitur tandem? EGINHARDUS, bonus profectò ejus rei, quam dicere nunc volo, testis, de suo CAROLO magno, *Barbara (inquit) & antiquissima carmina, quibus veterum Regum actus & bella canebantur, scripsit memoriaeque mandavit.* Recitabo alterum non minus nobile exemplum. In novis, hoc est, nuper repertis Indiæ Occidentalis insulis tam dicuntur esse homines illiterati, & literarum tamen, tanquam Deorum, cultores, ut cùm audirent nostros ibi Christianos alioqui absentes sic inter sese per epistolas colloqui, ut alter alterum intelligat, epistolas illas clausas adorarent, in quibus dicebant inclusum esse aliquem

Bb 2

divi-

(*) de moribus German. Cap. 19.

(**) Annal. Cap. ult.

divinum internuncium Genium. Illi (inquam) tam illiterati homines multorum sæculorum historiam suæ Gentis memoriámque conser- varunt partim quibusdam temere effictis sym- bolis, ut Aegyptii notis Hieroglyphicis: par- tim suis cantionibus, quas alii alios docent, & in suis Choreis cantillant: quales Choros vo- cant Areytos. Nunc etiam audio nostros, qui illic habitant, in literas referre talem & ex talibus carminibus repetitam historiam. Non dignarer illorum barbarorum meminisse: nisi si nostram nobis barbariem exprobrare majo- rem illi possent, si fimus ἀνισόητοι: (*) & nos ab iis discere possemus atque deberemus dili- gentiam conservandæ publicæ memoriæ. Nam & fas est ab hoste doceri, ut verus Poëta dixit. Hic si quis me roget de primis historiarum auctioribus: dicam nostrum MOSEN primum omnium & antiquissimum esse scriptorem. Nimis enim putidum est & ridiculum, quod PLINIUS nescio quem *Pherecidem* historiæ in- ventorem primum fuisse fabulatur. Quid verò MOSES, quem divinitus excitatum fuisse non dubitamus? Is ab orbe condito usque ad sua tempora historiam annorum propè bis mil- le & quingentorum, ut res erant in ea gente Judaïca notæ & pervulgatæ & perpetuâ veluti successione abs parentibus acceptæ, literis pri- mus consignavit ad sempiternam posteritatis memoriam. Citat ipse quidem aliquem li-
brum

(*) Historiarum imperiti.

brum Belle
protes ann
scriptus ex
referretur
quis mira
ruisse scri
retur divi

Quid?
ab urbe con
conscribi, a
mana. Nar
cum Senator
vebant, pr
sus. At
psisse res a
qui comm
tamen illar
nem, in
rudis appar
plures libro
pulchro de
Romani ce
illius urbis
et, usque
se literas: r
studiam re
mentarius F

(*) LIVI
(**) Lib.

brum Bellorum Domini. Sed Hebræi interpretes annotant id dici de libro, qui nondum scriptus erat, sed erat scribendus, & in quem referretur illorum Bellorum historia. Jam si quis mirabitur tot sæculis orbem terrarum caruisse scriptore historico: tantò magis admiretur divinum Mosis beneficium.

§. XVIII.

Quid? Quingenti propè anni effluxerant ab urbe condita priusquam seriò & diligenter conscribi, atque contexti cœperit historia Romana. Nam *Q. Fabium Pictorem*, & *L. Cincium* Senatorem, qui primo bello Punico vivebant, primos ejus auctores laudat *DIONYSIUS*. Ait quidem & ipsum Romulum descripsisse res ab se gestas. Sed quales ii essent alioqui commentarii vel annales, nescio. Primam tamen illam historiam Rom. extare valde optarem, in qua primæ antiquitatis simplicitas rudis appareret. De suo Pontificio jure *NUMA* plures libros scripsit. Verùm in suo eos sepulchro defodit: & multis post sæculis effossos Romani concremarunt. (*) Quid de reliquis illius urbis monumentis dicam? *LIVIUS* (**) ait, usque ad urbem à Gallis captam raras fuisse literas: unamque fidelis memoriæ fuisse custodiam rerum gestarum: ac si quid in commentariis Pontificum esset, id incensâ urbe periisse.

Bb 3

periisse.

(*) *LIVIUS Lib. XXXX. Cap. 29.*

(**) *Lib. VI. Cap. 1.*

periisse. Sed ut propterea extincta non est illarum memoria, utque posteaquam scribi diligentius fusiùsque cœpere res Romanæ, mirabiliter aucta atque exulta earum historia est: sic & antea exemplo Mosis sacram & divinam summo studio persecuti sunt summi Prophetæ. Neque modò apud Judæos, sed & apud Aegyptios, Chaldæos, Persas, Romanos, historiæ, tanquam rei sacrosanctæ, cura summis sacerdotibus mandata est: ipsique etiam Reges & Principes maximi, & doctissimi ac nobilissimi quique viri, hanc deinde susceperunt. Nam neque aliis temerè tantùm permittebatur. Neque sanè cuius licere hoc debet. Primus apud Romanos homo libertinæ conditionis, *L. Octacilius POMPEII Magni præceptor*, historiam scribere ausus est, quæ non nisi ab honestissimo quoque inter ingenuos scribi solebat, ut *CORNELIUS NEPOS* ait. Quid dicam, quod *PLINIUS lib. XXXV.* narrat, perpetuo interdicto cautum fuisse, ne servi docerentur pingere, cùm soli ingenui & honestiores hanc artem exercerent? Quantò magis historiæ scripture servis aut vilissimis hominibus interdendum erat? Utinam itaque edicto aliquo perpetuo, homines inepti, futiles, vani, atque etiam intestabiles, & quibus nulla alioqui testimonii dictio est, repressi fuissent, tantùm sibi ne arrogarent, ut rei & maximæ & nobilissimæ & sanctissimæ manus illotas impurâsque injicere auderent. Antiquitatis nunc memoria melior, castior, castigatior esset. Conquerer,

rerer, Monachos postremis temporibus tantum sibi sumpsisse; sed ut impudenter & stultè conficta & ineptè scripta ab iis multa esse fateor: sic nonnihil nos iis debere agnosco, per quos factum est, ut eorum temporum aliqua, potius quàm nulla, extaret historia: quique quo tempore illius curam alii abjecerant, eam & susceperunt derelictam, & quoad poterunt, susceptam sustinere conati sunt. Ac fortasse res erant, quæ melioribus, magisque politis scriptoribus dignæ non erant: ne non similes haberent labra lactucas: quanquam non fuerint omnes vel fatui, vel rerum imperiti monachi, qui huic rei operam dederunt. Imò verò plerique maximis antea muneribus in Rep. perfuncti, in illam solitudinem secedebant, ut liberiori in ocio, sine quo historia scribi vix ac ne vix quidem potest, literis mandarent quod in maximis negotiis occupati, de Rep. didicerant. Fortasse rerum Ecclesiasticarum tales aliquis testes magis audiendos esse putaret. Ego verò in earum rerum historia conservanda magis doleo veterem Christianorum morem non esse observatum. Habuit enim vetus Ecclesia delectos suos (ut Juris verbo utor) Actuarios, qui & diligenter & bona fide colligerent publicaque auctoritate consignarent illarum rerum memoriam: & in suis Archivis talia incorruptæ fidei monumenta, quæ tamen, omnibus paterent, adservavit. HIERONYMUS *contra Lucif.* recitans historiam concilii Ariminensis, de quo multi multa fin-

gebant, si quis (inquit) à nobis fictum putat, scrinia publica scrutetur. Plenæ sunt Ecclesiarum arca. &c. Quid ipsi veteres Romani? DIO narrat olim ad Senatum Rom. relata fuisse, quæcunque in orbe Rom. passim gererentur memoriâ digna: eaque illius auctoritate & mandato, publicis tabulis diligenter & bona fide inscripta fuisse. Cæsarum verò temporibus hunc relationis atque annotationis morem defuisse: multaque fuisse suppressa: & propterea servientis illius Reip. historiam obscuram esse: liberæ autem liquidam & integram. Cæterum CORNELIUS TACITUS fatetur res quoque ipsas, quæ tunc gerebantur, fuisse obscuriores atque humiliores, minusque propterea dignas majori luce. Ac quidem *lib. XVII. (*)* admonet, post pugnam Actiacam, atque omnem potestatem ad unum collatam, magna ingenia cessisse, & historiæ veritatem pluribus modis esse infractam, primùm inscitiam Reip. ut alienæ, mox libidine assentandi, aut rursus odio adversus dominantes. Intereâ tamen *libro XIII. (**)* significat scripta quædam tum quoque fuisse diurna acta urbis (sic enim vocat) sed iis res viliores, sicuti Annalibus illustres, mandari ait: quanquam & illam (ut iterum appellat) diurnam Actorum scripturam in suis Annalibus citet. In *Dialogo de Oratore* laudat MUCIANI undecim libros Actorum: sed acta eo loco intelli-

(*) *Histor. Cap. 1.*

(**) *Annal. Cap. 31.*

elligit ca
publicas.
temporit
vandæ n
non om
stodia. C
TEXTU
doctissim
riarumqu
recondita
in iis latit
que Christ
in Apolog
commentar
Neronem
sus loque
est CH
mundi ca
libro qua
na Archi
mum test
adversus C
de PETRA
ligenter
ne à no
fatis exp
qui mult
tantibus :

(*) Qu
(**) C
(***)
(****)

telligit causas in Jure & foro actas, præsertim publicas. Ut ut autem Dio sese excuset, quòd temporibus Cæsarum mos ille antiquus conservandæ memoriæ publicæ neglectus sit: tamen non omnino statim derelicta est hæc cura & custodia. Quid? TETULLIANUS noster, ille inquam TERTULLIANUS, veterum Ecclesiæ scriptorum doctissimus, & omnium antiquitatum, historiarumque cognitione clarissimus, sæpe laudat recondita quædam Romanorum ἀρχεῖα, (*) & in iis latuisse significat multa ad Ecclesiæ quoque Christianæ historiam valde necessaria. Sic in *Apolog. ad Romanos*, (**) *Consulite* (inquit) *commentarios vestros: illic reperietis primum Neronem in hanc sectam gladio ferocuisse.* Et rursus loquens de *Eclipsi*, (***) quæ visa est, cum est CHRISTUS cruci affixus, *Eum* (inquit) *mundi casum in Archivis vestris habetis.* Sed & libro quarto contra Marcionem (****) ait Romana Archiva custodire censum Augusti fidelissimum testem Dominicæ nativitatis. Denique *adversus Gnost.* allegat instrumenta Imperii, ubi de PETRI & PAULI cæde agit. Si hæc tam diligenter inscripta Romanis Archivis erant, quæ ne à nostris quidem Evangelii interpretibus satis explicari hodie possunt, quantumvis alioqui multa de sacra historia illa tota commentantibus: quàm fuisse putamus diligentes &

Bb 5

copio-

(*) Quæ spectant ad Curiam Magistratum.

(**) Cap. 5.

(***) Cap. 21.

(****) Cap. 7.

copiosos tales Actorum commentarios? Et si autem invidiosè suppressi, & tanquam Sibyllini libri in occulto habiti sint, tamen TERTULLIANO ad eos excutiendos & pervolutandos aliquis aditus patefactus fuisse videtur. Nunc cum ii planè interciderint, nulla esse potest tam curiosa nostra diligentia, quæ quicquam elicere ex iis possit. Sed non omnia omnium vel Rerumpublicarum vel civitatum sive Archiva sive polypticha (sic enim in Jure quoque nostro appellantur) perierunt: quæ quidem si pateant historicis, uberem profectò materiam historiæ suppeditabunt. Ac lubenter quidem fatemur atque etiam prædicamus nobilissima & amplissima ejus generis superesse *κειμήλια* (*) & instrumenta Regni Francici, & Curiae Senatúsque Parisiensis: ut & antiquitatum rerúmque Ecclesiasticarum scrinia magna Romæ in Vaticano adservari audio. Rogamus verò eos, quibus hæc patent, ut cum aliis communicent, quæ omnium interest non ignorare, & historiam tali tantæque accessione ornent: & ut PLUTARCHUS Delphicos & Laconicos commentarios in suis vitis atque historiis sæpè citat, liceat nobis nostrarum civitatum uti monumentis. Ut uno verbo dicam: Magnæ & uberes sunt reliquiæ veteris memoriæ, si iis ipsi non defuerimus. Non sum oblitus, quod paulò antè dixi. Fateor iterum, quod sine magno dolore facere non possum, magnam

veterum

(*) Cimelia.

veterum & monumentorum & annalium & histori-
 arum partem intercidisse. Nam et si
 tantum numerarem eos histori-
 arum scriptores, quorum vel PLUTARCHUS vel ATHENÆUS pas-
 sim meminit, sentio factam esse incredibilem
 jacturam. Cæterum hoc quoque accidisse vi-
 deo, ut pleraque tum demum interciderint mo-
 numenta, cum ab aliis, qui nunc extant, scri-
 ptoribus eadem essent repetita, eademque jam
 res ex aliorum libris in alios libros translatae,
 magisque etiam expositae in posterioribus es-
 sent. PLUTARCHUS in minoribus suis *Parallelis*
 recitans antiquissimas Rom. historias, testes tan-
 tum citat rerum Italicarum libros Græcè scri-
 ptos ab ARISTIDE MILESIO, ALEXARCHO, AGE-
 SILAO, ARISTOBULO, ALEXANDRO POLYHISTORE,
 ARISTOCLE, THEOTINO, THEOPHILO, DOROTHEO,
 DOSITHEO, DERCYLLO, CLYTONIMO, CRYSIPPO.
 Hi nunc omnes auctores interierunt. Sed an
 ex iis PLUTARCHUS quicquam recitat, quod nos
 ex aliis, qui extant, copiosius repetere non
 possumus? Idem PLUTARCHUS in aliis suis *Pa-
 rallelis*, hoc est, *illustrium vivorum vitis*, quæ
 Græcam, Latinamque historiam describunt,
 auctores plus quam ducentos, ex quibus illam
 collegerit, laudat. Si dixerò, ne decimam qui-
 dem eorum partem nunc extare, non mentiar.
 Sed ipse PLUTARCHUS, quod alioqui ab iis jam
 frustra requirimus, suppeditat. Ne illos qui-
 dem PLUTARCHI libros integros superesse scio.
 Sed alii, qui supersunt, eos suppleant. Mira-
 bilis profectò est quædam in hoc genere pugna
 eorum,

eorum, quæ oblivionem parere, & eorum, quæ memoriam rerum gestarum tueri conantur. PLINIUS ad TACITUM, (*) *Auguror* (inquit) *historias tuas fore immortales*. Utque non esset vanum hoc augurium, Imp. TACITUS eas multis exemplaribus descriptas jusserat adservari in publicis bibliothecis. Ipse Dio narrat sese ad historiam scribendam divino quodam somnio confirmatum fuisse, cum ex eo intellexisset, illam, quam scriberet, nullo unquam tempore esse perituram. Perierant tamen TACITI & DIONIS commentarii, vixque tandem aliqua eorum pars revixit & ex suo sepulchro eruta est. Sed quod planè periit, nonne aliunde sarciri & aliorum libris compensari potest?

§. XIX.

Nihil attinet nunc ostentare superstites bibliothecas, quæ nos bene sperare jubent. Sed ut PLINIUS scripsit, se suorum temporum historiam orsum esse à fine AUFIDI BASSI: sic dicere possum HERODOTUM à fine Prophetarum, THUCYDIDEM à fine HERODOTI, XENOPONTEM à fine THUCYDIDIS. Historiæ Romanæ primam partem DIONYSIUS præcipuè susceperat, professus, se ejus historiæ scriptionem producere velle usque ad initium primi belli Punicæ. Secundam POLYBIUS antea susceperat: postea LIVIUS tertiam potissimum explicare voluit. Etsi autem maxima horum scriptorum pars nunc interierit, tamen potest & hæc lacuna
repleri,

(*) *Lib. VII. Epist. 33.*

repleri, & hoc farciri damnum. TACITUS non
 procul à fine Livii suos Annales orditur, MAR-
 CELLINUS à fine TACITI, hoc est, à principatu
 NERVÆ, ut HERODIANUS ab exitu M. ANTONINI,
 in quo desierat Dio. Quid pluribus verbis
 talia successionis continuæ exempla in aliis scrip-
 toribus commemorem? In re præsentì multò
 id commodiùs diligentiusque ostendero. Nunc
 dico, ne tempora quidem literis omnibus ini-
 mica potuisse nobis earum præfidia eripere,
 & historiam sic certasse cum barbarie, ut
 hæc illam opprimere non potuerit, ut huic il-
 la minimè cesserit, denique ut hanc illa veluti
 in triumpho circumduxerit. Ne rursus lon-
 gior sim, breviter delibabo tantùm posteriora.

§. XX.

Qualescunque reliquiæ nobis relictæ sunt
 (hoc enim dicendum iterum est) historiam sa-
 tis integram conflare utcunque possunt, si abs
 singulis scriptoribus singula corrogando, om-
 nia pervestigemus, & quod singuli conferent,
 aptè colligamus, atque jungamus. Nam
 & diligentiam perquirendi, & artem quandam
 quæsitis rectè utendi, necessariam esse profi-
 teor. Utraque verò si adsit, tum certè magis
 admirabimur utrùmque illud, quod antea di-
 cebam, hoc est, & veterum omnibus sæculis
 historicorum, qui in hoc genere scriptionis,
 tanquam in acie alii aliis successerunt, & quasi
 in decursu lampada acceperunt abs decedenti-
 bus, continuam atque conspirantem fuisse con-

ten-

tionem: & post tantam barbarorum tem-
 porum tempestatem, atque adeò literarum
 vastitatem, tantum esse reliquum veterum mo-
 numentorum. Post mortem CONSTANTINI,
 Imperio partim diviso, partim aliò translato,
 & nescio quò abductis legionibus inundare
 cæpit illa barbarorum colluvies. Nonne mi-
 rum est, tunc nihilominus historiam diligenter
 esse conscriptam, sed & quæ tunc conscripta
 fuit, ad nos pervenisse. Quid? VALENS Im-
 perator in Oriente domi & foris cælum terræ
 miscebat: & nihilominus alii historicos, qui
 etiam cùm Græci essent, latinè nobis exponant,
 quod quærimus. Nullis liberalibus studiis eru-
 ditum fuisse fatetur AMMIANUS MARCELLINUS
libro XXXI. ()* Jubet tamen, ut EUTRO-
 PIUS res Romanas ab urbe condita usque ad
 suam ætatem colligat. Id non ineleganter
 præstat EUTROPIUS: cujus etiamnum extat (ut
 appellatur) *Breviarium*. Cùm ad suæ ætatis
 historiam pervenit, ait sese eam majorè stylo
 dicendam reservare ad majorem scribendi di-
 ligentiam. An id quoque præstiterit, ignoro.
 Sed bene habet. Eodem tempore in eadem
 aula vixit AMMIANUS MARCELLINUS, qui cumu-
 latè hoc præstitit, homo quidem militaris, sed
 tam literatus miles, tamque veterum literarum
 studiosus, ut nihil non pervestiget. Nam &
 quod in Gallorum monumentis incisum fuerat
 de eorum antiquissima origine, legisse se ait
libro

(*) *Cap. 14.*

libro XV. Denique (ut uno verbo dicam) diligentissimus scriptor est. Est quidem scabra ejus, hominis nempe Constantinopolitani, oratio Latina: sed rebus est doctis referta, & variam, multiplicem, reconditamque lectionem includit, & verò historiam, quam alius non exposuerit, copiosè explicat. Denique hunc MARCELLINUM cum TACITO, à cujus fine, ut dixi, orsus suam historiam est, comparare ausim: & cum antea TACITUM cum LIVIO tantum habere similitudinis dixi, quantum unius cum alterius habuit Resp. nunc multò magis dixero MARCELLINUM TACITO non esse dissimilem: esse tamen uberiorem. Jam verò si ejus commentarios superstites de temporibus CONSTANTII, JULIANI, VALENTINIANI & VALENTIS jungamus non modò cum iis, quæ ex legum libris repeti possunt, sed & cum Ecclesiasticis eorum temporum monumentis, quæ plurima etiam sunt: certè maxima illius historiæ materia memoriæque nobis occurret.

§. XXI.

Post mortem THEODOSII barbaries magis atque magis grassari cœpit, quæ urbe everfa, in Italia rerum potita est: & ecce ex Africa AUGUSTINUS magna nobis præsidia summittit. Incitavit enim suum PAULUM OROSIUM, ut ab orbe condito ad sua usque tempora perpetuæ historiæ memoriam renovaret. Quid dicam, ipsam THEODOSII II. uxorem EUDOCIAM, fœminam doctissimam, & Atheniensi philosopho
patre

patre dignam filiam, & Imperatoris maximi conjugio dignissimam virginem, Heroïcis verbis Persica mariti bella elegantissimè descripsisse? Si ad JUSTINIANI nostri tempora transeam, occurrent PROCOPIUS & AGATHIAS: & iis proximus EVAGRIUS, qui historiae Ecclesiasticae παραλειπόμενα (*) persecutus est abs THEODOSIO secundo, usque ad MAURICII Imperium: quibus profectò temporibus tristissima Reip. facies fuit. Sed fortasse in Oriente quidem adhuc aliquid literarum & lucis superfuit: In Occidente verò omnia erant densissimis tenebris sepulta. Equidem negare non possum obscurum esse chaos. Sed in ea quoque caligine conati sunt quidam memoriam suorum temporum posteritati relinquere. Atque hîc quidem mihi in mentem venit ille LEO, magnus, ut videtur, vir in aula Tholosana Regis Gothi. Is hortatus erat SIDONIUM APOLLINAREM, qui tunc in Gallia unus erat literis & eruditione præstantissimus, ut historiam ejus temporis scriberet. SIDONIUS sapientissimè judicans, quorum potissimum sit hominum, historiam scribere, respondet, ipsum LEONEM id potius suscipere debere & præstare posse. Quotidie namque (inquit) per potentissimi consilia Regis, totius sollicitus orbis, pariter ejus negotia, jura, fœdera, bella, loca, spacia, merita cognoscis. Unde quis justius sese ad ista succinxerit, quàm ille, quem constat gentium motus, legationum

varie-

(*) Ea, quæ prætermissa sunt.

varietates, facta ducum, pacta regnantium, tota denique publicarum rerum secreta didicisse? quique præstanti positus in culmine, nec necesse habet vel suppressere verum, vel concinnare mendacium? Utinam verò hic LEO hanc historiam nobis reliquisset. Nam cum virtalis fuerit, dignissimus erat, qui illi rei se dederet: & ea tunc erant in hoc Occidente tempora, quorum memoriam valde requirimus prope alioqui amissam. Quàm multa, quæ ignoramus, cognoscere possemus de Regni Francici initiis, deque Gothici in Aquitania atque Italia statu? Nam probabile est LEONEM illum, cum ALARICI Tholosani Regis consilia regeret: & THEODORICI, qui socer ALARICI fuit, & CLODOVEI Franci, cujus filiam duxit ALARICI filius, consilia cognovisse, & res maximas tunc ab illis tribus magnis Principibus gestas, quæ nunc obscura oblivione sepultæ sunt, illustrare potuisse. Neque tamen contemnendum est, quod ex SIDONII *epistolis* elici potest, quantumcunque sit illud. Factum verò deinde est, ut cum viri togati in Reipublicæ gubernatione occupati hanc curam non susciperent, quæ tamen ad eos magis pertinebat: ipsi monachi, ociosi homines, ultrò ad eam rem sint aggressi. Ac SIDONIUS quidem verecundè responderat, eam abs suo ordine (erat autem Episcopus) valde abhorrere. Sed monachi cogitarunt fatius esse aliquam, quàm nullam historiam contexti. Nihil nunc dicam de CASSIODORO, primum Consule & Senatore, deinde monacho:

C c

quem

quem omnes fatentur plurimum ad hanc rem contulisse. Sed habenda etiam gratia est ipsi GREGORIO Turonensi Archiepiscopo, qui Francorum Regum ante CAROLI MAGNI tempora res gestas, ut potuit, descripsit. Habenda est gratia ANNONIO monacho, qui postea eandem historiam suscepit, & ad suam ætatem usque perduxit. Quid dicam de BEDA, qui suorum Anglosaxonum Britannicam historiam collegit? Quid futurum erat, si temporibus illis non affulsissent tales historici, qui nobis etiamnum de rebus illis multa quærentibus utcunque respondeant? Atque hoc quidem exemplo plures deinde ejus ordinis scriptores excitati sunt, qui CAROLO Magno, ejusque posteris adfuerunt: quorum monumentis tam nunc carere non possumus, quàm utimur perlubenter. PAULUM VARNEFRIDUM Diaconum Aquilegiensem Longobardum Longobardicarum rerum scriptorem CAROLUS Magnus everso Longobardorum Regno, eorumque Rege Desiderio capto, aluit, propè ut olim VESPASIANUS JOSEPHUM: eundemque nihilominus filia DESIDERII impulit, ut ad EUTROPIUM libros duos appenderet: & abs JULIANO historiam produceret ad nostrum usque JUSTINIANUM, hoc est, usque ad principium regni Longobardici. Quis non agnoscit, quantum & huic propè monacho debeat eorum temporum historia? Quid dicam de EGHINARDO, qui sui CAROLI Magni, cujus Cancellarius fuisse dicitur, vitam descripsit? Contemnant, qui volent, talia auxilia,

&

& (si etiam velint) fastidiosè respuant. Ego in deserta solitudine duces, ne monachos quidem, contemnam, quibus aliquam veluti facem præferentibus utcunque conspicio, quod alioqui planè non viderem. Fateor tribus ante & post CAROLUM seculis historiam Francorum Regum valde obscuram videri, cùm barbaries in Gallia veluti revocasset veterum Druidum morem, qui res suas literis non mandabant. Sed tantò magis colligendum est, si quid sit scriptum: & spero fore, ut ex illius nobilissimi regni Archivis aliquando plura eruantur. Interea quosdam, qui se alioqui in solitudinem abdiderant, nobis occurrere indices & testes eorum temporum, æquo animo patiamur. Et cur tandem nobis etiam non gratularemur, unum inter eos ABBATEM URSPERGENSEM anno MCC. extitisse, qui fideliter collegerit illam barbarorum in Germania temporum, suorumque Imperatorum historiam, in qua alioqui caligaremus? alterumque in Hispania RODERICUM antistitem Toletanum paulò post idem fecisse? Saltem suæ gentis memoriam aliquam nobis reliquisse. Sint licet rudes tales commentarii, tamen quædam (ut ita dicam) faculæ sunt, quæ officunt, ut in ea oblivionis profunda nocte, in qua cæci planè essemus, aliquid videamus. Græci & politiores & sceliciores in hoc genere semper fuerunt. Ventum erat ad annum MLXX. cùm in Imperio Constantinopolitano ipse Patriarcha JOANNES XIPIHILINUS, DIONIS Græcam rerum Rom. historiam

nobilissimam, non modò in lucem revocavit, sed & eleganti epitome, ut memoria faciliò esset, exornavit, cùm aliæ nationes vix ullam tenerent earum rerum memoriam. Cùmque ad suam usque ætatem historiam non perduxisset: ecce statim ZONARAS, monachus ille quidem, sed doctus & literatus monachus, & maximis in Imperio Constantinopol. muneribus antea perfunctus, persequitur, quod XIPHILINUS dereliquerat: & universæ historiæ ab orbe condito non inelegantes epitomas concinnat. Desiit in suo Imp. ALEXIO COMNENO: nec satis diligenter exposuisse visus est illam sui temporis historiam: quo tamen tempore Occidens cum Oriente congressus, & uterque veluti orbis concurrens, magnam & illustrem historiæ novæ materiam suppeditabat. Sed ANNA ALEXII illius filia, fœmina erudissima, tanti dux fœmina facti, *libris XX. suæ Alexiados*, paternam historiam ita describit atque illustrat, ut ejus ætatis & Imperii & Orientis statum liquidò etiamnum conspiciamus: & alteram in ANNA EUDOCIAM, vel potius majorem gloriam majusque decus admirari cogamur. Eant nunc, qui suæ ignavia, barbarorum temporum tenebras obtinent. Vix me continere possum, quin exclamem,

*Vos etenim juvenes animos geritis muliebres,
Illaque virgo viri.*

§. XXII.

Certè ut Romanis olim Imperatoribus, & Persicis Regibus turpe & pudendum fuit aliquando

quando vinci ab una muliere ZENOBIA, barbaris illis temporibus, quibus VALERIANUS & GALLIENUS, serviebant dicam an imperabant? Sic pudorem ignaviæ iis incutere eadem debuit, quæ etiam Romanos historicas literas Romæ docebat. Certe TREBELLIVS POLLIO scribit, tam peritam Alexandrinæ atque Orientalis historiæ fuisse, ut & ejus epitomas conscriberet. Neque dubito, quin eo studio animum illum suum plusquàm virilem, & admirabilem prudentiam in rebus gerendis, atque in adversis, ipsaque adèò captivitate invictam constantiam confirmarit. Sed cùm legimus ANNÆ *Alexiadem*, an non multò magis nos nostræ ignaviæ puderet? Intereà bene habet: obscurissimorum temporum lucem inde, unde minimè sperassemus, nobis affulgere. Ut autem ANNA ZONARAM veluti excepit, sic ZONARAM consecutus est NICETAS, NICETAM CALCHONDYLAS: ut jam de aliis eorum temporum scriptoribus Græcis, qui nondum prodierunt, non loquar. Sed ne illis quidem nostri Occidentales, qui tunc Asiam & Syriam victores pervagabantur, in hoc genere cessere. Post GOTIFREDUM & BALDUINOS duos, primum & secundum, Reges Hierosolymitanos maximis rebus gestis nobilissimos, nonne etiam laudantur BALDUINUS tertius, & hujus frater ALMARICUS, & ALMARICI filius BALDUINUS quartus, quòd Juris & historiarum essent studiosissimi? Nonne liberaliter aluerunt GULIELMUM illum nostratem, qui postea Archiepiscopus Tyrius fuit, & quem

BALDUINUS quartus præceptorem, deinde Cancellarium habuit? Nonne historicum lumen Orientis esse jufferunt? Nonne AMALRICUS ille BALDUINORUM filius, frater, pater, factus quoque Rex Hierosolimitanus curavit ab illo conscribi ignotam alioqui nostris, Orientalium Principum integram historiam annorum DLXXVII. eique ad tantum opus Arabicos etiam libros maximis sumptibus comparatos suppeditavit? Nonne & ille TYRIUS suorum Principum admirabilem, quæ etiamnum publicè extat, historiam abs GOTIEREDO per annos LXXX. fidelissimè contexuit? Factum id est, cum ad annum CHRISTI millesimum ducentessimum historia paulatim accederet: & ecce centum post annis casu mirabili ex media Armenia in Galliam atque adedò in monasterium pertrahitur HAYTONUS, qui magis atque magis sui Orientis statum, si non facundè, at certè fideliter (quod, qui supersunt ejus commentarii, restantur) nostris exponeret: ac ubi minimè nostri putabant, ibi literas tunc lucere narraret, in illo nempe extremæ Indiæ admirabili Regno Cathayo: cujus jam ea erat gloria, ut Cathayni possent & auderent jactare, se duobus oculis, Latinos non nisi uno præditos esse: reliquas verò gentes esse cæcas.

§. XXIII.

Certè vetus erat hoc Græcorum proverbium, homines demum literatos διπλοῖς ὀμμασιν ὁρᾶν: (*) quod quidem de historicis magis etiam

(*) Duobus oculis videre.

nam dici pot
 ad audirent
 acitari debu
 ore PAULUS
 illes extant)
 rum Imperia
 perstraverat
 cum illis & h
 cognoverat, re
 eris & legibus
 in picturis hist
 emque cum ill
 anticem Rom
 a nostrorum fi
 in dissimili ex
 stitit Rex I
 novem CLA
 ratione aud
 tis atque ni
 ad illi Legati
 narios posse
 um fuit, quod
 ni: neque pr
 nostra reate,
 lethiopia, sed
 e Indiæ Occi
 Legatos Rom
 ce literis atque
 mla nostros ur
 locus videtur fu

(*) Lib. VI. Ca

etiam dici potest. Nonne Europæi nostri cum illud audirent, ad honestissimam contentionem excitari debuerunt? Quid? Cùm eodem tempore PAULUS VENETUS (cujus libri non ignobiles extant) totam illam Indiam & Tartarorum Imperium novum & admirabile, quod perlustraverat, domum reversus describeret: cùm illius & historiam, quam in re præsentia cognoverat, recitaret, & civitates amplissimas literis & legibus excultas, & ipsam Regiam aulam picturis historicis insignitam esse narraret: denique cùm illius *Cublai* magni *Chami* ad Pontificem Romanum epistolam adferret: credo, nostrorum studia inflammavit. Cùm olim non dissimili exemplo accidisset, ut Taprobanae Insulæ Rex Legatos Romam misisset ad Imperatorem CLAUDIUM, Romani magna cum admiratione audiverunt tales novi veluti orbis testes atque nuncios: neque non PLINIUS (*) quod illi Legati retulerunt, in suæ historiæ commentarios postea retulit. Majus autem quippiam fuit, quod de PAULO VENETO nunc recitavi: neque profectò minus admirabile est, nostra ætate, non solùm ab ABISSINO Rege Aethiopiæ, sed & ex Themistitana civitate novæ Indiæ Occidentalis, tanquam ex altera Cantalagos Romam appulisse cum suæ Reipublicæ literis atque commentariis. Ubi tales stimuli nostros urgebant, certè nullus desidiæ locus relictus fuit.

C c 4

Euro-

(*) *Lib. VI. Cap. 22.*

Europa? Non est jam necesse pluribus verbis dicere, quantum infelix elaborarit, ut cum magna literarum, doctorumque hominum penuria laboraret, tamen res suas ab oblivione vindicaret. Non est necesse omnes commemorare, qui proximorum saltem annorum CCC. memoriam, historiamque nostrorum Regum & Principum diligentissime & simplicissime exposuerunt, homines fortasse impoliti, sed quò minus simulationis aliquo artificio eruditi, tantò magis ad veritatis testimonium idonei. Neque tamen defuerunt doctissimi atque literati homines, qui tandem perpolirent, quod illi priores informarant. Certè etsi tantum consideremus, ecquid una nobis Italia suppeditet: neque BLONDI FLAVII subsidia, qui *historiarum ab inclinatione Romani Imperii libros XXXI.* edidit ante annos centum: neque qui illum consecutus est, ANTONII SABELLICI *Enneadas & Decadas*: neque hujus veluti successores duos, PETRUM BEMBUM & PAULUM JOVIUM: neque illius, qui Britanniaë datus est, POLYDORI *Anglicam historiam*: neque PAULI AEMILII *commentarios de rebus gestis Francorum*, quisquam literatus contempserit. Sed clarissimorum virorum labores in re præsentis laudabimus. Illud modò, quod ut video, longiùs me abduxit, dicere volui: non deesse scriptores, non monumenta, non memoriam, non lumen, vel in tenebricosis temporibus, ut quod suscipimus, bona cum spe persequi possimus. Ubi factum aliquod historia verè & fideliter narravit, pro-

tinus

(ut in t
e tempore
gra narrat

Ac tem
imprimis hab
ria. Sed histe
am & scrupule
aliter aliquan
per diem & Co
omnia miscere
est, fugere
quidem pl
tunc rōy su
plus forte
tus, ut in
vere possi
esse tam
componere
ant. Verùm
ari debemus
as agere, quic
tus ipsum P
HONTM gra
tempora sapè
& THUCYDIDES
NON PICTOREM
Scriptores quos
NON PITHAG

(*) Dictionem
(**) Cozum

tinus (ut in testimoniis fit) quæri solet ac debet de tempore & loco. Nam neque alioqui integra narratio esset.

§. XXIV.

Ac temporis quidem magnam rationem imprimis habent, qui scribunt Annales aut Diaria. Sed historia sæpè non requirit tam minutam & scrupulosam Chronologiam: neque tam exiliter aliquando dividi se patitur: neque semper diem & Consulem habet. Verùm confusè omnia miscere, nunquam licet: & quantum potest, fugere historicus debet ὑσρολογία (*). Est quidem plusculum difficultatis in comparatione τῶν συγχρονῶν (**). Sed fuit olim multò plus fortasse, quàm sit hodie. Sanè PLUTARCHUS, ut in *Lycurgo* valde laborat, sese ut evolvere possit: sic in *Solone* ingenuè fatetur, rem esse tam variè jactatam, ut diu multi in ea componenda atque concilianda frustra sudarint. Verùm tanto magis ætati nostræ gratulari debemus, & doctissimis hominibus gratias agere, qui talia fœliciter explicârunt. ATHE-NEUS ipsum PLATONEM, atque etiam XENOPHONTEM graviter accusat, quòd quorundam tempora sæpè notaverint falsò & imperitè: ut & THUCYDIDES HELLANICUM, & DIONYSIUS FABIVM PICTOREM, & alii alios. Sed & CICERO scriptores quosdam meritò reprehendit, qui NUMAM PYTHAGORÆ discipulum fuisse ajebant,

C c 5

cum

(*) Dictionem præposteram.

(**) Cœvorum.

cum PYTHAGORAS aliquot post NUMAM seculis primum natus sit: ut tantò magis mirer OVLIDIUM in eodem errore tanquam in luto hæsisse. Sunt ii quidem certè ridiculi & fædi errores. Sed cùm magnos alioqui & doctos viros iis subinde implicari videmus, intelligimus nos cavere nobis debere. Hic mihi venit in mentem, quod idem CICERO in quadam oratione pro Gallio lepidè narrat. Non extat illa oratio. Sed HIERONYMUS ad Nepot. loquens de imperitis concionatoribus, ex illa recitat, quod jam recitabo. *Quidam (inquit CICERO) poëta nominatus, homo perliteratus, cùm facit Euripidem & Menandrum inter sese, & alio loco Socratem & Epicurum differentes, quorum ætates non annis, sed seculis scimus esse disjunctas: quantos is plausus & clamores movet? Multos enim condiscipulos habet in Theatro: qui simul literas non didicerunt. Scitè profectò & falsè CICERO. Sed quantos cachinnos, & quales fannas in confes-
su doctorum hominum excitaret tam ridicula *αἰσῶσις* (*)? Atqui non modò indocti illi concionatores, de quibus agit HIERONYMUS, sed & doctissimi in Ecclesia doctores miserè se & alios nimium credulos in hoc genere aliquando fefellerunt: ut EPIPHANIUS, cùm de JUSTINI Martyris ætate agit: & SOCRATES ille Ecclesiasticæ historiæ non ignobilis auctor, cùm de Polycarpo. Quid dicam de ipso AUGUSTINO (**), qui disputans de historiæ utilitate,*

ait

(*) Historiarum imperitia.

(**) Lib. II. de doct. Christ.

AMBROSI
PLATONE
PLATONEM
in Egypt
se memoria
tribuit. Se
quàm fuerit
Nam scribit
Esse tempora
de suorum
tribus tam
ndem coacti
magam operat
HORINUS, & p
qui eos cor
in persecuti
STORIS RHO
nar scripsit
et quia mu
ndam præci
gor, meos,
et profectò n
ASTRENSEM,
ego, de PAPIN
andam legur
que adeò stol
augari. Verù
in schola tam
non docuerit m
(*) Lib. II. Re
(**) De Civitat
(***) Chronica
(****) Chroni

ait AMBROSIUM contra Platonicos, qui nostros à PLATONE omnia didicisse fingeant, dixisse, PLATONEM temporibus HIEREMIÆ profectum esse in Ægyptum? Ac quidem alibi (*) agnoscit se memoria lapsum esse, cùm illud AMBROSIO tribuit. Sed an alioqui tandem vidit satis, quàm fuerit PLATO posterior HIEREMIA? Vidit. Nam scribit (**) PLATONEM natum esse post ESRE tempora. Et verò Pagani nostros talibus de suorum auctorum antiquitate disputationibus tam valde exagitarunt, ut Christiani tandem coacti sint τῶν χρονικῶν (***) studio magnam operam dare. Quod & CLEMENS ALEXANDRINUS, & postea EUSEBIUS sedulò fecerunt: & qui eos consecuti sunt, tam id diligenter sunt persecuti, ut jam minimè requiram illius CASTORIS RHODII veteres commentarios, qui dicitur scripsisse τὰ χρονικὰ ἀγνοήματα. (****) Sed quia multos video nihilominus inscitia quadam præcipites sæpè in hoc genere labi, cogor, meos, ut sibi caveant, monere. Pudet profectò me, cùm BARTOLUM & PAULUM CASTRENSEM, nobilissimos juris interpretes, lego, de PAPINIANI & DIOCLETIANI ætate ad quarundam legum conciliationem ineptissimè atque adeò stolidissimè non tam loqui, quàm nugari. Verùm bene habet: vix ullus hodie in schola tam puer est, quem ferulæ metus non docuerit meliora chronica. §. XXV.

(*) *Lib. II. Retract.*

(**) *De Civitate Dei Lib. XVIII.*

(***) *Chronicorum.*

(****) *Chronicos errores.*

§. XXV.

Sed neque jam in Cosmographia, Geographia, Chorographia, magis quàm in Chronologia, facile aliquis vel peccaverit vel aberraverit. Adeò tabellis omnia sunt ad vivum expressa. Lepidum est, quod nasutus ille LUCIANUS ait, sese delira stultitia fatui cujusdam Historiographi, ex Græco factum esse Babilonium, patriamque suam ab Hellesponto avulsam, cum ipsis mœnibus & turribus & universo populo translata esse in Mesopotamiam. Si quis tam absurdè peregrinetur, taliæque monstra non tam somniet, quàm affirmet, illud attonitus exclamabo,

Et Ararim Parthus bibit, & Germania Tigrim.
Dicerem iterum vix quenquam jam posse in tales errores incidere. Sed cum superioribus annis legerem hominis doctissimi & acutissimi & hac ætate cautissimi commentarios quosdam, in quibus ille, quod EUSEBIUS scripsit de Pella ad Jordanem, docendo transfert ad Pellam Macedonicam: sensi nostros iterum monendos esse, videant, ne tam inscitè orbem terrarum revolvendo invertant.

§. XXVI.

CICERO *ad Attic.* (*) narrat sese instituisse scribere de Geographia magnum opus, eum in Aegyptum proficisci cogitaret. Sed ut hæc ejus peregrinatio impedita fuit, sic & scriptio illa Geographica fuit abrupta. Cæterum non multò post Roma STRABONEM aluit, qui cum
magnam

(*) *Lib. II. Epist. 4.*

magnam orbis partem pervagatus multorum mores vidisset & urbes, Geographiam cum historia conjunxit, & scitissimè expressit. De aliis, qui secuti eum sunt, & eidem studio magnam operam dederunt, nunc non loquar. Facere tamen vix possum, quin PAUSANIÆ mentionem faciam, qui Imp. ADRIANI temporibus Græciam curiosè perlustravit, & paulò antè quàm ea tota concideret, studiosè quicquid in ea erat memorabilè, notavit atque collegit. Neque verò quam aliquo STRABONIS vel PAUSANIÆ exemplo, rationem & viam historiæ pertractandæ secutus est superioribus annis RAPHAEL VOLATERRANUS, nunc eam imitari vellem. Non enim historiam, ut regiones & provincias, dividere possum: & illa modò huc, modò illuc nos cogit discurrere: neque uni loco affixa, neque in una regione semper est inclusa. Certè aliud longè est, Geographia aliquem historiarum memoriam aspergere: aliud, historiæ perpetuæ Geographiam veluti appendicem subjicere.

§. XXVII.

Posteaquam historia factum aliquod descripsit cum suis circumstantiis, etsi eam liberali custodia septam, vellem, cingeret omnium literarum eruditus quidam chorus: tamen Rhetores novos, ad id, quod recitatum erit, exaggerandum non invitabo. Nam amplificatio- nes atque excursiones ociosorum hominum, qui, ut poëtæ & pictores, quid libet audendi atque fingendi potestatem sibi arrogat, non
minus

minus quàm ineptas allegorias ineptorum concionatorum, præcidendas esse sentio. Utantur iis vel in scena ludiones, vel in concione declamatores. Ego historiam castiorem & verecundio-rem esse opto. Ac, si quod CICERO in *Bruto* scripsit, concessum est Rhetoribus, vel in historiis mentiri: vellem talem planè Rhetoricam hinc facessere. Nam & memini, quod idem CICERO ad *Attic.* (*) seriò scripsit, alia esse scripta ἐγκωμιαστικά, (**) alia ἰσόγραμμα: (***) quòdque non modò CICERO, sed & LIVIUS graviter conquestus est, funebres veterum orationes reddidisse historiam mendosam. Denique non rarò mihi in mentum venit, quod idem CICERO alibi (****) verè scripsit, alias in historia leges observandas esse, alias in poëmate: cum in illa ad veritatem quæque referantur, in hoc ad delectationem pleraque. Neque tamen non agnosco olim quoque fuisse quosdam poëtas historicos: neque LUCANUM, cum bellum civile, aut SILIUM ITALICUM, cum bella Punica narrat, repudiavero: ac ne historiam quidem aliquando in tragœdiam transformari, & in scena agi recusavero. Denique & Panegyricis Veterum utar nonnunquam, ut cum de DIOCLETIANO, CONSTANTINO, THEODOSIO narrant, quod aliis monumentis proditum non est. Sed ut est aliquis in hoc genere modus, sic & cautio, quæ necessaria est, adhiberi debet. Potiùs verò quàm indulgemus ludicris & ociosis alicujus facti amplificationibus, aliæ sunt, quæ nos alio vocant, seriæ quæstiones.

FR.

(*) *Lib. I. Epist. 19.*

(**) Laudatoria.

(***) Historica.

(****) *de L. L. Lib. I. Cap. I.*



FR. BALDUINI,
DE
INSTITUTIONE
UNIVERSÆ HISTORIÆ,
ET

EJUS CUM JURISPRUDENTIA CONJUNCTIONE
ΠΡΟΛΕΓΜΕΝΩΝ LIBER II.

§. I.

Sæpe mirari soleo, multos, qui historias legunt, has veluti ludendo, ita percurrere, ut neque quem ex iis fructum legere possint, sciant: neque quid ad talem lectionem ipsi adferre debeant, unquam cogitent. Credo, eos ad illas non accedere nisi inanis alicujus oblectationis causa qua se & suum tempus fallant. Sed hoc, quid aliud, quàm nugari, est? Quid nos? Cùm profiteor agere me velle de institutione historiæ universæ, deque hujus cum jurisprudentia conjunctione: sentio hanc Jurisprudentiam, illius quoque universitatis partem esse. Videndum verò est, cur hanc societatem requiram.

§. II.

Ubi factum aliquod historia recitavit, executiendum nobis illud iterum est: & de Jure
ac

neptorum concio. Unum is
onione tenui-
& videntur
ERO in Bro
in histori
am hinc facien
ERO ad Atti
uzua, (**)
CICERO, sed
ebres veterum
lam. Denique
quod idem
ias in historie
nate: cum in
in hoc ad
en non agno
ras historico
le, aut SILDW
rat, repudiave
ndo in trage
gi recularero.
nar nonnun
NSTANTINO,
umens pro
a hoc genere
a est, adhiben
nus ludicris it
ous, aliz sunt,
nes.

FR.

ac usu est quærendum. De facti Jure dico: hoc est, an quod factum esse dicitur, justum, bonum, rectum sit, & ad exemplum propterea trahi possit: an verò sit injustum, & propterea damnandum atque fugiendum. Sic enim vocari in judicium debet. Audio, quod multi dicere solent, moralem philosophiam cum historia esse conjungendam, ut quod illa præceptis agit, hæc agat exemplis, præsertim cum ubi de officiis agitur, præcepta propè inania sint, si exemplis non confirmentur, animoque nostro non infigantur. Laudo equidem hanc, quam vocant, ethicæ doctrinæ & historiæ societatem. Sed longiùs progredior, & Jurisprudentiam advoco: quanquam & hæc quædam esse dicatur pars philosophiæ moralis. Sed quia CICERO non temerè admonet, aliter philosophos, aliter leges judicare de Jure vel officiis: non temerè est, quod Jurisprudentiam quoque hîc audiendam esse dico. Certè si in legum lectione & interpretatione dicere solemus, artem æqui & boni esse necessariam, ut & Jure scripto rectè utamur: multò magis, quod ex historia profertur exemplum, ex lege æstimandum atque judicandum est. Nam & videndum est, ne nobis imponat, quæ multis sæpe imposuit, *κακοζηλία*: (*) néve aut privilegium pro lege, aut factum pro jure temerè accipiamus: aut denique cum facto Jus confusè misceamus. Hîc ergo quæstiones Juris abs quæstionibus facti discernendas esse dico. Sed rursus ea in re, cum

histo-

(*) Infelix æmulatio.

historias legimus, magnam cautionem adhibendam esse sentio. Interdum enim tale factum est, & ejus est auctoritatis, ut nihil præterea quærendum sit, quia pro jure & lege illud omnino sit habendum. Interdum rursus legis nomen occurrit, ubi tamen jam non jus, sed factum agnoscere debemus. Rectè sanè noster PROCULUS admonet, spectandum esse non solum quid Romæ factum sit, sed etiam quid fieri debeat. Quod autem de iis quæ in urbe publicè fiunt, ait: de iis, quæ fiunt in orbe, multò magis dicendum est. Sed sapienter, religiosè, & temperanter judicandum est de more Majorum. Vetus etiam illud est, legibus, non exemplis judicandum esse. Verùm & exempla quædam legum vim habent. Sunt denique nonnulla, quæ (ut veteres loquebantur) non more fiunt. Ut igitur hæc & ejus generis reliqua, quibus referti sunt libri historici, rectè dijudicentur: ad certum Jus recurrendum est, & cum historia conjungenda est Jurisprudencia: illam dico Jurisprudenciam, quæ est, esseque debet, qualis esse dicitur, rerum divinarum atque humanarum notitia, justitiae atque injusti scientia. Quò verò magis inquiremus, cur hæc conjunctio requiratur, magis sentiemus tam eam esse necessariam, quam unitus corporis indivisæ partes aut membra divelli neque possunt neque debent.

§. III.

Ego quidem nondum satis statuere potui, plusne lucis historia ex Jurisprudenciæ libris,

an Jurisprudencia ex historicis monumentis accipiat. Sed liquidò affirmare possum, sic utramque esse comparatam, ut (quod ille ait) altera alterius poscat opem, & conjuret amicè. Olim POMPONIUS ATTICUS dicebat, sese CICERONIS de Republica libris, impulsum atque incensum fuisse, ad veterum annalium memoriam comprehendendam. Ego dicere soleo, me & legum libris ad historiæ memoriam consecrandam, & historiæ monumentis ad legum volumina evolvenda excitatum fuisse. Quantumcunque sit illud, quod sum in utroque genere consecutus (si quid est modò: quod quidem certè perexiguum esse sentio) tamen studiosis auctor esse non dubitabo, illius, de qua loquor, sive conjunctionis persequendæ & astringendæ, sive affinitatis contrahendæ. Utque olim LÆLIUS ille sapiens, generos sibi ascivit, alterum Q. MUCIUM SCÆVOLAM, Augurem & Jurisconsultum clarissimum: alterum FANNIUM historicum nobilem: sic & nos hæc studia tanquam maximè affinia copulemus. Imò verò, ut P. MUCIUS SCÆVOLA, magnus ille Jurisconsultorum princeps, in Consulatu collegam habuit L. CALPURNIUM PISONEM, Annalium scriptorem præstantissimum: sic, quod sæpe alias optavi, optare etiamnum me non dissimulabo, tale aliquando Jurisprudentiæ & historiæ collegium institui, quale esse debet. Sed cum alteram altera quodammodo contineat, & suis libris, tanquam finibus includat (quanquam utri potius hæc comprehensio

tri-

tribuenda sit, nesciam: & utrique tribui rectè posse videatur) iterum propiùsque videamus, qualis quantàque sit hæc affinitas. Non enim temerè est, quòd eam urgeo tantopere: úrque studiorum, sic & consilii mei rationem intelligi imprimis velim: & veniam (credo) mihi facillè dabunt æqui iudices, si paululum indulgeam justissimo amorì, & iis, in quibus bonam vitæ partem consumpsi, literis plurimùm tribuam. Sive Jurisprudentiam cum historia, sive historiam cum Jurisprudèntia jungam, loquor & ago de utriusque Juris cognitione, divini & humani: Júsque universum complector, quod certè varium & multiplex est, ut quidem nunc utimur Juris verbo. Jus divinum imprimis (ut debeo) appello, quod est de religione vera. Estque rursus hoc duplex: Est enim quoddam perpetuum & immutabile, quod ad ipsius religionis (ut ita dicam) substantiam pertinet: aliud verò magis est, si ita loqui licet, politicum, quod ad ritus & ceremonias & externam Ecclesiæ gubernationem refertur. Utrumque autem contineri iisdem libris, quibus & historia sacra, continetur, neque aut illud sine hac, aut hanc sine illo planè legi posse, manifestum est. AUGUSTINUS *in libris de doctrina Christiana*, cùm docet historiam, etiam si (ut loquitur) præter Ecclesiam puerili eruditione discatur, plurimùm conducere ad sacros libros intelligendos: nimis id agere videtur tenuiter & propè pueriliter, atque adeò exiliter. *In libris de Civitate Dei* diligentius id

facit. Sed majus aliquid est, quod nunc urgeo. Dico Jus sacrum cum historia sacra, & hanc cum illo mirificè esse conjunctam. Ut itaque Theologiam quam vocant, DEUS in historiae schola veluti inclusisse dicitur, quia litteræ sacræ sint etiam historicæ: sic & hujusce divinæ Jurisprudentiæ atque historiae individuum esse conjunctionem, jure aliquis dixerit. Sed in utriusque lectione video necessariam esse magnam rursus cautionem, seriâque scientiam totius religionis. Libri imprimis sacri occurrunt, & quidem utriusque (ut loquimur) fœderis divini, veteris & novi. Nisi si utriusque conditionem rectè consideramus, nihil agimus. JOSEPHUS veteris (ut vocatur) Testamenti, & illius Mosaicæ atque Propheticæ historiae libros, ex Hebræa lingua in Græcam convertere, ipsosque LXX. interpretes in hoc genere superare voluisse videtur: putâtque se, qui sacerdos erat Hierosolymitanus, probè rem totam intelligere. Sed nonne illius historiae cadaver magis quàm animum, & umbram potius quàm corpus, exponit? Cur ita? Quia quid agatur, parum intelligat, homo nihil aliud, quàm Judæus. Certè cum PAULUS Apostolus ex ea historia quippiam delibat, interpretes est valde dissimilis JOSEPHO vel PHILONI. Sed & in ipsa Chronologia quantum aliquando sit mysterii, quod JOSEPHUS non vidit, peritè notat Apostolus, cum quadringentis post fœdus, quod cum ABRAHAMO pepigit DEUS, annis, legem primùm à MOSE latam esse: neque id temerè hoc ordine

ordine esse fact
 cum de legi
 distinctio adhibe
 rum, hoc est,
 temporum sit:
 quid non omni
 illæ fini & cond
 vandum est. Ill
 restorem legis v
 interpretes de
 horum histor
 possit. Judaica
 credit Christiana
 ore in ea quide
 de legibus M
 monias atinet
 bus, sed & cu
 ventur) perper
 de religione
 legi non posse
 Cum Paganis
 ore. Nam h
 erat: & de a
 ho. Cum J
 est una. Cur
 tes fuerunt,
 em genus univ
 lica. Quàm i
 roverliarum
 es historiae pa
 rios Christe
 disciplina, ordin

ordine esse factum, religiosè monet. Denique & cum de legibus Mosis agitur, quænam distinctio adhibenda sit, & quid in iis sit perpetuum, hoc est, quid omnium & gentium atque temporum sit: quid, non omnium sit gentium: quid non omnium temporum: denique quæ illæ fini & conditione latæ sint, cautè observandum est. Illius legis alter veluti auctor (ut auctorem legis vocabant Romani) fuit DAVID, & interpretes deinde fuerunt Prophetæ: neque horum historia sine hac parte rectè exponi posset. Iudaicæ atque Propheticæ historiæ succedit Christiana, Apostolica, Ecclesiastica. Atque in ea quidem, imprimis etiam disputatur de legibus Mosaicis, præsertim quod ad ceremonias attinet. Cùmque non modò cum Judæis, sed & cum Hæreticis, & Paganis (ut vocantur) perpetuam illa contineat contentionem de religione: quis non videt eam satis perlegi non posse sine hujusce Juris cognitione? Cum Paganis sive ethnicis disputatur ex historia. Nam hæc ad eos refellendos sola satis erat: & de antiquitate tunc præcipua erat quæstio. Cum Judæis subtilior est disputatio: sed est una. Cum Hæreticis, qui varii & multiplices fuerunt, multiplex & longa est. Sed saltem genus universum includit historia Ecclesiastica. Quàm igitur hæc cæca erit, si talium controversiarum Jus ignoretur? Non minor ejus historiæ pars est posita in quæstionibus inter ipsos Christianos agitatis de ceremoniis, disciplina, ordine, formæque gubernationis

Ecclesiasticæ. Hujus ergo etiam Juris cognitio necessaria est: & acta conciliorum atque Canones, & Principium Christianorum leges Canonicas evolvere oportet, simulque in judicatione propter rerum & temporum varietatem, singularis cautio adhibenda est: neque non semper est conjungenda Republicæ notio, & civilis status consideratio. Adeo perpetua est illa individuitas, de qua loquor. Memini, cum superioribus annis viri Magdeburgenses historiæ Ecclesiasticæ descriptionem suscepissent, meumque consilium expetiissent, longiori me ad eos epistola, quid ea tota de re sentirem, exposuisse. Sed dicere quid facto sit opus, multò, quam id facere, est facilius. Affirmare verò, quod bonis nuper Principibus respondi, rursus non dubitabo, si quis in illa memoria, ut oportet, versetur, optimam ex ea repeti posse definitionem earum de religione controversiarum, quæ orbem nostrum concutiunt: tantòque propterea magis doleo tales quæstiones, quæ tantum nunc dant turbarum, ad illud placitum antiquitatis tribunal non revocari, sed ab imperitis tanquam pueris confusè misceri. Ridiculum profectò fuit, quod in concilio Ferrariensi JOANNES ille Palæologus Imperator Constantinopolitanus, nominis jam propè sui oblitus, cum allegari audiret *Ecclesiasticam historiam* HERMÆI SOZOMENI, attonitus exclamavit, quidnam hoc tandem monstri esset? Saltem cogitasset atavum suum ANDRONICUM non modò aluisse, sed etiam coluisse

NICE-

PHORUM,
 licet tradidit
 tam rerum
 ut a
 ne mentio
 pateretur. An
 cum & princeps

Ceterum, ut
 illis magnam
 errore facti fal
 fuit, factum
 bus: sic jam di
 errore Juri
 factum est,
 nim temerè
 sunt statim
 Nam & h
 temporumq
 veterum
 per fuisse conc
 monent, quæ
 sic & mutat
 ulla, testes
 regulam Ju
 que reculo Ju
 minerimus, q
 rei spectabant fu

Antiquitatu
 Rerum nov
 Regulam e

NICEPHORUM, qui SOZOMENI imitator erat. Scilicet παλαιόλογος (*) erat novus hic arbiter, qui tam rerum erat imperitus, tamque νεοτεριστής, (**), ut antiquitatis & historiae Ecclesiasticae ne mentionem quidem fieri in concilio pateretur. An ubi tales sedent Iudices, cœcum & præceps non erit tribunal?

§. IV.

Cæterùm, ut antea dixi in historiis Ecclesiasticis magnam cautionem adhibendam esse, ne errore facti fallamur, & quod factum olim non fuit, factum esse temerè credamus falsis testibus: sic jam dico cavendum rursus hîc esse, ne errore Juris decipiamur, & quod improbè factum est, rectè factum existimemus. Ut enim temerè contemnenda non sunt, sic non sunt statim adoranda omnia facta Majorum. Nam & hi falli potuerunt, & cùm rerum temporùmque, tum verò Majorum nostrorum veterùmque judiciorum non eandem semper fuisse conditionem ipsæ quoque historiae monent, quæ magnarum, ut contentionum, sic & mutationum, præsertim in re Ecclesiastica, testes esse possunt. In iis itaque etiam regulam Juris, adhibeamus necesse est. Neque recusò Jus hoc dici Canonicum, modò meminerimus, quàm falsò & impudenter Epicuræi jactabant sui magistrικάνονα διοπετην: (***)

Dd 4

tam

(*) Antiquitatum scriptor.

(**) Rerum novarum Studiosus.

(***) Regulam de Cælo datam.

tam verè nos imprimis prædicare Domini Dei-
que & præceptoris nostri Normam cœlestem.
Denique quam regulam TERTULLIANUS in suis
Præscriptionibus edidit acerrimus antiquitatis
Ecclesiasticæ vindex, eam cupio ut retineamus.
Sed quomodo ea utendum sit, in re præsentī
videndum erit. Nunc institutum nostrum
persequamur, ut magis atque magis intelliga-
tur, cur Jurisprudentiam cum historia sapien-
ter conjungi velim.

§. V.

In historia Romāna Pontificium quoque
Jus Quiritum, quale NUMA POMPILIUS MUCIQUE
SCÆVOLÆ condiderunt, includi, & hoc, ut cum
Jure civili olim conjunctum erat, sic ab illa re-
petendum esse, neminem, qui dubitet, homi-
nem esse existimo. Hoc autem Jus cùm jam no-
bis non tam Juris quàm facti loco sit esseque de-
beat (non enim eo sacra nostra regi ferendum
est, quod abs verâ pietate est alienam) quid aliud
quàm historicum planè esse dicam? Legimus
itaque, quales in Romanorum sacris ritus fue-
rint, & quales earum ceremoniarum leges. Sed
quod tunc factum ab iis est, nobis Jus non dicet.

§. VI.

De multis antiqui Juris publici, quo non
utimur, partibus idem & sentiemus & dice-
mus. Equidem (cur enim dissimulem?)
nuper legebam perlubenter novos de antiquo
Jure civium Romanorum & Italiæ commen-
tarios doctissimi hominis CAROLI SIGONII, qui
de historia Rom. præclarè meritus est. Illam
autem

tem antiqui
cum voli
Juris civili
poriantur, se
erarum genus
qui in eorum
crimen ignavia
Romani partem
his exponitur.
am: illa liberae
ntes tantum in
volvamus ea t
? Ea dico, qu

Non est (dic
orum ea cond
nam. Cùm
tam exponit
gyptias leges.
as, vel Solo
his: naî d'Évoas
includere pe
ntudo & cop
scultas ut Reip
Facile etia
NOME vitam
quod & L
his finibus Jur
non circum
nis, quàm histe

(*) Aves ligneas
erant scripta

autem antiquitatis renovatam memoriam magna cum voluptate legens dolebam, multos, qui Juris civilis interpretes & doctores se esse gloriantur, securè contemnere totum illud literarum genus. Rursus autem dolebam, alios, qui in earum studio sunt toti, non metuere crimen ignaviæ atque inscitæ, si alteram Juris Romani partem non evolvant, quæ in legum libris exponitur. Denique sic mecum cogitabam: illa liberæ Reipublicæ historia & antiquitas tantum includit Jurisprudentiæ: Quid si evolvamus ea tempora, quæ post consecuta sunt? Ea dico, quæ Cæsarum esse dicuntur.

§. VII.

Non est (dicam iterum) Juris Civilis Romanorum ea conditio, quæ fortasse est aliarum gentium. Cùm DIODORUS Aegyptiorum historiam exponit, facilè & commodè inserit Aegyptias leges. Cùm PLUTARCHUS vel LYCURGI, vel SOLONIS vitam describit, eorum $\alpha\rho\sigma\beta\epsilon\iota\varsigma \kappa\alpha\iota \acute{\alpha}\xi\omicron\nu\alpha\varsigma$ (*) in eadem narratione breviter includere potest. Sed longè alia est & amplitudo & copia & varietas, & propterea difficultas ut Reipublicæ & sic legum Romanarum. Facilè etiam PLUTARCHUS, cùm ROMULI aut NUMÆ vitam narrat, eorum leges complectitur: quod & DIONYSIUS facit. Sed tam angustis finibus Jurisprudentia, de qua nunc loquor, non circumscribitur. Imò verò sese non minùs, quàm historia, ipsa Romana latè diffundit:

D d 5

dit:

(*) Axes ligneas, & Tabulas, in quibus Leges erant scriptæ.

dit: & historicos propterea scriptores, præfertim eos, qui in illius foro educati non erant, quodammodo deterret: ut sibi ab ea tanquam à scopulo caventes, contrahant vela: & de legibus vix quicquam delibent, nisi ut canis è Nilo bibit & fugit. Cùm PLUTARCHUS SULLÆ aut CÆSARIS vitam narrat, an *Cornelias* vel *Julias* leges exponit? Ergo factum est, ut hæc Jurisprudencia ab historia: & hæc historia abs Jurisprudencia quodammodo sejungi cæperit, sensimque altera alteri veluti nunciare visa est vetus illud, RES TUAS TIBI HABETO. Verum tantò magis occurrendum esse huic (ut ita dicam) divortio, existimo. Si non potuit utraque iisdem tabulis commodè includi: at longiùs certè alteram ab altera discedere, minimè ferendum est. Est (fateor) Romanarum rerum historia & diligenter & copiosè descripta abs scriptoribus gravissimis atque doctissimis. Sed iterum profiteor Romanarum legum memoriæ minùs eos satisfacere videri. Credo equidem, quia eæ non unius vel ætatis vel hominis essent: quia essent multæ, variæ, subtiles, acutæ: illos quadam difficultatis opinione deterritos fecisse perlubenter, ut earum expositionem aliis relinquerent: multòque maluisse, ne non belli scriptores viderentur, vel instructam aliquam aciem singulàsque ejus partes, & castrorum formam, & prælii genus, & numerum cæforum, & id genus reliqua fusè & suaviter commemorare, quàm legem aliquam reconditam expromere, & in obscuram Juris civilis

civilis disceptationem, quæ tunc habita sit, descendere. Quid? Diæterium aliquod vel apophthegma historicus recitabit: & nobilem legem, aut singularem de jure sententiam, & quæstionis multum diuque vexatæ, publicæque etiam agitatæ solennem definitionem præteribit? Imò verò hanc negligentia labem, quam quorundam incitia historiæ aspersit, detergat, & quod deest, suppleat Jurisprudencia. DIONYSIUS & LIVIUS X. virorum, qui primi Romæ legum ferendarum causa creati sunt, historiæ copiosè describunt, & *leges XII. Tabularum* ab iis propositas esse narrant. Sed quænam eæ essent leges, quidve iis tabulis inscriptum esset, (quod certè negligendum minimè fuit) non exponunt. Unam aut alteram legem fortasse recitant.

§. VIII.

Sed cur reliquas supprimunt? An igitur necessarium non erit Jurisprudenciae subsidium, quæ quicquid potest, undique cogit & colligit, ut eam veluti lacunam repleat? Cùm DIONYSIUM & LIVIUM nominavi: nominavi duos historiæ Romanæ doctissimos, gravissimos, diligentissimos scriptores, illum Græcum, hunc Latinum. Licet autem DIONYSII, quod attinet ad res & tempora, quæ describit, diligentiam prætulero: tamen à LIVIO verba potiùs repetiero. Neque profectò minima historiæ atque Jurisprudenciae Romanæ sita vis parsque est in ipsis formulis, quas LIVIUS religiosè recitat, Græci sua lingua exprimere, ne si vellent quidem,

dem, possent. Itaque miror tam multos olim, etiam Romanos, suam historiam Græcè, quàm Latinè scribere maluisse. Scio eos hoc egisse, ut à pluribus legeretur. CICERO *pro Archia* (*), *Græca* (inquit) *leguntur in omnibus ferè gentibus: Latina suis finibus, exiguis sanè, continentur. Quare si res hæ, quas gessimus, orbis terræ regionibus definiuntur, cupere debemus, quò minus manuum nostrarum tela pervenerint, eodem gloriæ famamque penetrare.* Sed videndum etiam fuit, quàm non omnino Romana sit illa, quæ Græcè scribitur, historia, præfertim cùm, ubi de jure aut legibus agitur, tam sit inops & propè dixerim inepta ac barbara lingua Græca, quàm Latina tunc est & sæcunda & disertâ. Certè CATONI non placuit ALBINUS, qui historiam Romanam Græcè scribebat. Credo, magis placuisset ASI- NIUS ille POLLIO, qui Græcam Latinè scripsit, ut SUIDAS auctor est. Sed illud nunc dico, in historicis rerum Romanarum scriptoribus diligentiore legum latarum desiderari descriptionem: vixque ab iis, qui Græcè scribunt, eam præstari posse, cùm maxima juris Romani pars vix ac ne vix quidem Græcè possit exponi. Quæ ratio facit, ut LIVIUM, SÆLUSTIUM, CÆSAREM, TACITUM aliquando legam lubentiùs, quàm POLYBIUM, DIONYSIUM, DIODORUM, PLUTARCHUM, APPIANUM, DIONEM. Intereà tamen iterum confiteri cogor ne Latinos quidem histo-

riæ

(*) *Cap. 10.*

riæ Romanæ scriptores, mihi satisfacere in legibus recitandis. Si LIVII & TACITI monumenta integra extarent, multum in hoc genere subsidii haberemus: omnibusque aliis ea præferrem, si togatam, civilem, urbanam historiam Romanam aliquis desideret: & tales historicos propè retulero in ordinem & collegium Jurisconsultorum. Potuit adolescens TACITUS & vidisse & audiisse senem LIVIUM: ut & vidisse se ait in Britannia quendam senem, qui JULIUM CÆSAREM in ea viderat. Certè TACITUS LIVIUM laudat & fidei atque eloquentiæ nomine præclarum fuisse ait *Libro quarto*. (*) Neque adeò multi anni numerantur inter finem historiæ Livianæ & principium *annalium* TACITI: nempe quot inter mortem DRUSI & AUGUSTI interfuere. Saltem agnosco in dissimilis Reipublicæ historia contexenda quandam esse similitudinem inter hosce duos clarissimos scriptores, neque puto alios tam propè accedere ad Jurisprudenciam Romanam tantòque propterea magis mihi acerbam esse fateor jacturam, quæ multos eorum libros interceptit: & superstites reliquias juris studiosis lubenter commendo: neque temerè factum esse profiteor, quod duo ætatis nostræ nobilissimi interpretes Juris, ANDREAS ALCIATUS & AEMILIUS FERRETTUS, in emendandis atque explicandis TACITI *annalibus* multum operæ posuerint. Sed fateri tamen cogor aliunde acersendam esse longè aliam legum

(*) *Annal. Cap. 34.*

legum accessionem. Ita est fanè. Facere historici non possunt, quin multas rogationes, populivè scita (quæ etiam leges appellantur, quamvis dici potiùs debeant, ut sunt, quædam privilegia) commemorent. Sunt enim tales leges omnino historicæ: neque alioqui in legum libros aut tabulas referuntur: minimèque pertinent ad juris perpetui causam. Sed & juris publici magis quàm privati meminisse se debere historici statuunt. Laudo. Verùm ea interdum Juris alioqui privati etiam lex est, quæ si ignoretur, ne ipsa quidem historia, hoc est, neque Reipublicæ ejus temporis conditio, neque vitæ judiciorúmque forma atque consuetudo cognosci potest. Denique cùm omnes fateantur historiam καθολικὴν, (*) debere esse πραγματικὴν, (**) ut antea dixi: & πραγματείαν (***) illam hoc postulare sciant, ut rerum gestarum circumstantiæ, quæ abs Græcis περιβάσεις (****) appellantur, simul exponantur: ego non verebor Juris statum inter præcipuas illas circumstantias referre. Atque ut CICERO ad Atticum lib. XIV. (*****) Tu (inquit) si quid pragmaticum habes, scribito: pragmaticum vocans, quod fiebat in foro vel in Senatu: sic & quæ sunt ejus generis, ad historiæ scriptionem omnino pertinere puto: ut & quæ in
libris

(*) Universalem.

(**) Pragmaticam.

(***) Animi intentionem.

(****) Adjuncta.

(*****) Epist. 3.

libris legum appellantur pragmaticæ constitutiones vel sanctiones, in eam referantur, quo magis fit, esse quæ debet, historia *πραγματικη*. (*) Quid olim præstiterit in hoc genere ATTICUS, nescio, quia ejus commentarii interierant. Sed CORNELIUS NEPOS ait nullam fuisse legem, neque pacem, neque bellum, neque rem illustrem populi Romani, quæ non in eo volumine, quo ATTICUS omnem antiquitatem exposuit, suo tempore notata sit. Suspicio verò eum jus privatum & civile, vel ejus generis leges, quarum cognitio magis esse dicitur Jurisconsultorum, non exposuisse. Neque tamen non plerique historiæ Romanæ scriptores, qui civilium & domesticarum rerum descriptioni magis dediti fuerunt, non noluisse videntur præstare, quod requirimus.

§. IX.

Sed hîc rursus intelligo, quàm sit necessaria Jurisprudentiæ, bene (ut ille olim dixit) fundatæ societas. Facient illi suo fortasse tempore & loco aliquam mentionem *Legis Voconia*, *Falcidia*, *Papia*, *Poppæa*. Sed (quod sine eorum ignominia dictum velim) an in hoc genere præstant, quod & debent & suscipiunt? An earum legum vel sententiam integram rectè exponunt, vel verba sine mendo recitant? Hîc ergo veluti deficienti historico succenturietur Jurisperitus, necesse est. Cùm PLINIUS audiret TACITUM historias scribere, statim ad eum scripsit

(*) Pragmatica.

scripsit de quadam causa, quam egerat in Senatu. Non erat res valde magna: annalibus tamen eam inferendam esse putat: neque dubitare se ait de TACITI diligentia in actis publicis. Quem & nos prædicamus in hoc genere diligentissimum fuisse. Sed quam multa negligit tamen? Neque verò postulo, neque si postularem, ferendus sim, ut historia colligat & complectatur, de jure publico & privato, multa vel privata, vel exilia, vel ignobilia, vel etiam inania? Ne Jurisconsultorum quidem commentarii talia converrerent. Neque non sapienter profectò AMMIANUS MARCELLINUS admonet, historiam non indagare humilium minutias causarum. Quid igitur dicimus? Cùm CICERO *pro C. Cornelio*, COTTAM de suis legibus abrogandis ad Senatum retulisse dixisset: ASCONIUS annotavit, *videri in rebus parvis eas fuisse, quia neque apud Saluistum, neque apud Livium, neque apud Fenestellam fiat eorum mentio.* Fieri verò illius tantum legis mentionem, quam tulit, ut iis, qui Tribuni pl. fuissent, alios Magistratus capere liceret, quod *Lex Sullæ* prohibebat. Equidem facilè patior Aurelias illas de re parva leges à LIVIO, SALUSTIO, FENESTELLA, in descriptione Romanæ historiæ, esse præteritas. Sed nobiles & de re magna latas leges cum suo auctore, ætate, conditione, formula, si historia civilis non annotat, an non maximam officii sui partem negligit? SUETONIUS, LAMPRIDIUS, SPARTIANUS, CAPITOLINUS, & similes olim scriptores historici,

Cæsarum

Cæsarum vitas, sententias, dicta, acta, facta sic describere, ut & eorum de jure judicia, & constitutiones imprimis recitare voluisse videantur. Sed quàm est ea tamen, non jam dico confusa, sed jejuna & mutila recitatio, si observemus, & quid in hoc genere non recitaverint, quod recitare omnino debuerant: & illud ipsum, quod recitant, quàm non sit integrum, quàmque sit mendosum, utpote ab hominibus sæpè eam rem parum intelligentibus, imperitè & inconditè relatum. Ne hæc ergo semper manca historia sit, sarciatur, quod hac in parte illi deest. Sarciri verò non potest, nisi id reperatur ex Juris, & legum libris. SEPTIMI SEVERI, Imperatoris profectò maximi, historiam annorum XVIII. describunt, quàm diligentissimè possunt, HERODIANUS, SPARTIANUS, DIO. Sed quanta lux, quantùmque decus accedet, si & illius, & PAPINIANI, quì ejus Prætorio Præfectus fuit, judicia ex *Pandectis* repetita interdum accedant: & rescripta, quæ cum suo die & Consule extant in *Codice JUSTINIANI*, atque ad historiam pertinere videntur, opportunè observentur? De *DIOCLETIANI* memoria, quæ est alioqui obscurior, idem dixero: sed multò magis de *CONSTANTINI*: cujus est alioqui magis varia & multiplex historia propter novam Reipublicæ, atque Imperii faciem. Legimus quidem de eo scripta esse plurima, præsertim ab Ecclesiasticis scriptoribus. Sed quàm confusa sunt omnia? & rerum civilium quàm est perturbata

memoria, nisi si Codices Constitutionum indicio novo nobis quendam ordinem præmonstrent? VALENTINIANI, VALENTISQUE Imperium, quia AMMIANUM MARCELLINUM in eo Ducem habemus, evolvi facilius potest. Sed quæ præsidia ex *Codice THEODOSIANO* præterea repeti possunt, quàm utiliter cum MARCELLINI monumentis conjungentur? Certè quò magis hi Principes de Jure publico, & rebus ad civitatum, atque etiam Ecclesiarum gubernationem pertinentibus leges ferre cœperunt, tantò magis horum constitutiones historicæ sunt. In THEODOSII Imperio annorum XVI. quia Ducem aliquem MARCELLINUM non habemus, non minùs, quàm in CONSTANTINI Imperio, laboramus. Nam & utrumque fuit rerum maximarum, & admirabilium eventorum gloriâ nobilissimum. Sed si cum aliis memoriæ illius præfidiis colligamus, qualiacunque supersunt indicia Constitutionum, eaque sequamur, eluctari poterimus. Leges illæ Consulem, annum, mensem, diem, locum, quo sunt editæ, sua subscriptione significant. Quàm ergo præclaros in hoc genere fastos suppeditant? Feci equidem perlubenter, ut harum constitutionum quandam Chronologiam aliquando conficerem: & cum id ago, magis atque magis sensi tam esse necessariam illam, quam tantopere urgeo, Jurisprudentiæ, atque historiæ conjunctionem ut eorum temporum, atque Principum, neque leges, quæ sunt plurimæ, neque acta, quæ maxima sunt, rectè sine tali

auxi-

auxilio intelligi posse, iterum profiteri ausim. Atque hîc obiter juvat indicare, quod hisce diebus, cùm GRATIANI, THEODOSIIQUE de religione constitutiones, ex utroque *Codice* repetitas, extra ordinem in schola interpretarer, auditoribus meis exposui. Est enim id maximi momenti & ponderis: & hæctenus ab nostris animadversum non esse miror.

§. X.

Cùm ad *Codicem* JUSTINIANI aggressus essem, conferebam primum, qui ejusdem generis est, *titulum postremi libri Codicis Theodosiani*. In ejus postremo capite legebam VALENTINIANI II. & THEODOSII constitutionem, quæ dat potestatem conveniendi, & (ut loquitur) colligendi, iis qui secundum ea sentiunt, quæ temporibus CONSTANTII, convocatis sacerdotibus ex omni orbe Ro. Ariminenfi concilio decreta sunt, & Constantinopolitano confirmata &c. Id cùm legerem, statim ut attonitus obstupescerem, historia fecit. Memineram enim, quale fuisset illud Arimense concilium, & quàm ab ejus decreto captioso abhorreret religio THEODOSII, atque adeò Ecclesia Catholica, & orthodoxa: & quò illius historiam, & acta mecum magis reputabam, tantò magis suspicabar, illam constitutionem non esse THEODOSII; imò verò impiam esse, minimèque in libros legum referendam sentiebam. Cùm hærerem, & cui acceptam ferre illam deberem, anxie quærerem: atque ex subscriptione intelligerem, Me-

diolani latam esse, statim mihi historia suggestit, quod me magnâ molestiâ liberavit. Venit enim in mentem, quod illa narrat de JUSTINA, quæ in gratiam suorum Arianorum, abutens filii sui VALENTINIANI nomine, talem legem ferre voluit & tulit, tectam Ariminensis concilii cothurno. Spero fore, ut, cùm ad rem ventum erit, suo tempore & loco probabo legem esse Arianam, & esse expungendam, quæ mala fide THEODOSIO est inscripta, & in *Theodosianum Codicem* insidiosè irrepsit. Cùmque multas mendorum maculas ex Legum libris rectè sublatas esse abs doctissimis hac ætate hominibus lubenter agnoscam, etiam hanc multò tetriorem labem me delevisse mihi gratulabor. Sed neque minoris beneficii & momenti animadversio est, quod, cùm adversus sanguinarias, & sævas animadversiones exponerem leges & judicia veterum Christianorum de coercendis hæreticis: partim ex historia, partim ex *Tb. Cod.* ostendi in *Cod. Justin.* quandam de Manichæis legem THEODOSII, injectâ ultimi supplicii falsâ clausulâ, mendosè factam esse capitalem, eum multorum fraude capitali: neque dissimile mendum irrepsisse in quandam MARTIANI Imp. constitutionem, ejusdem generis. Quæ magis necessaria esse posset emendatio? Sed hoc quidem est historiæ beneficium erga Jurisprudentiam. Jam verò vicissim quæritur de Jurisprudentiæ meritis atque beneficiis erga historiam: quæ & magna & multa esse dico. Equidem cùm nuper VALENTINIANI senioris

nioris

historiam
num reg
, & vivim
ur, nos n
observab
gebam lege
Ambianis,
Mogu
um eas ad A
num VALENT
tam, increc
cām post T
volvenda e
nulli? Qui
perum nos
et Procopio
rio & Ni
sed an eju
natis expo
nones apte
num LEONIS
descendar
geal (*),
aliquam f
ent non so
entur, nih
qua confi
gus civilib
m. Sed de
occurrerit
num nostrac
Novellæ.

nioris historiam revolverem, quæ quia in iis potissimum regionibus, in quibus & educati sumus, & vivimus, versatur, & Belgicam pervagatur, nos magis afficit, magna cum voluptate observabam, quas ex *Codice Theodosiano* intelligebam leges ab eo latas esse Parisiis, Remis, Ambianis, Novioduni, Treveris, Vangionibus, Moguntiaci, Coloniae Agrippinae: & cum eas ad AMMIANUM MARCELLINUM, qui historiam VALENTINIANI copiosè describit, adjungebam, incredibilem lucem accedere sensi. Sed & cum post THEODOSIUM obscuriora tempora evolvenda erunt, quantum est in libris Juris auxilii? Quid, cum tandem ventum erit ad Imperium nostri JUSTINIANI? Bellicæ quidem res à PROCOPIO, & AGATHIA: Ecclesiasticæ ab EVAGRIO & NICEPHORO diligenter descriptæ sunt. Sed an ejus Reipublicæ Imperiique historiam satis exponere poterit, qui JUSTINIANI constitutiones aptè non adjunget? Quid si ad Imperium LEONIS illius, qui Philosophus dictus est, descendamus? Magnæ tenebræ. Sed ejus *Νεαραι* (*), quæ libris Juris nunc accesserunt, aliquam facem præferent. Si deinde, quis fuerit non solum Asiæ, sed & Africæ status, quæritur, nihil quàm vastitas & vis occurret: in qua confusione fateor frustra de jure, aut legibus civilibus disputari, ac ne disputari quidem. Sed de religione saltem quæstiones magnæ occurrent. Si oculos reflectamus in Europam nostram: citius etiam barbariem in

(*) Novellæ.

eam invasisse, & feras gentes suis sedibus emotas, Romanum Imperium evertisse, atque jus omne, & fas veluti miscuisse, audiemus. Sed sunt faciliùs tamen revocatæ ad aliquam humanitatem, atque moderationem, tamen ut religionis, sic & juris aliqua temperatione se regitandem passæ sunt. Quid dicam de Gothis, quorum multæ leges minimè barbaræ laudari possunt? Quid de Longobardis, quorum moribus, cùm quæritur de jure Feudorum, ut appellantur, etiamnum utimur? Quid de CAROLO MAGNO, qui in magna temporum intemperie res perturbatas in integrum restituit? Quis esset status, indicant ejus leges, quas quidem etiam nostris legum libris nonnulli nunc appendere solent. Ego ut EGHINARDO illius Cancellario gratiam habeo, qui tam excellentis Principis vitam descripsit: sic & ANSEGISO, qui ejusdem leges collegit. Utinam verò CAROLUS, ut historiæ universæ studiosus fuit, & ipsa veterum Germanorum carmina, quæ populari cantu jactabantur, sed scripta nondum erant, describi jussit: sic & nobilissimas *leges Salicas*, moribus Francorum ante sua tempora receptas, iterum edidisset. Majorem hæ lucem rursus inferrent nostris annalibus. Paulò post CAROLUM, aut ejus saltem filium LUDOVICUM, magna iterum dissipatio fuisse videtur, Jusque datum sceleri. Sed tandem regna, & principatus ita constituuntur, ut eorum, qui iis constituendis præfuerunt, posteritas etiamnum possessionem retineat. An non & illorum

rum temporum historiam illustrabit Jurisprudentia? Nam etsi raræ sint eorum leges, aliquæ tamen sunt, ex quibus æstimanda est talium regnorum facies, & conditio. Deinde quò sunt eæ rariores, tantò magis Romanæ advocantur: & ex Jure civili Jus illis dicendum est. Neque non de Principum successione in illa historia occurrent maximæ, & nobilissimæ, & subtilissimæ Juris controversi quæstiones: quæ etsi armis sæpiùs deciderentur: tamen togatam disputationem, atque forensem disceptationem admittebant. Eas verò non explicabit homo Juris imperitus: talémque propterea historiam exponere totam vix poterit. Non discedam longiùs ad exempla: neque tamen delibabo, quod nondum lubet. Sed cùm recitanda erit historia & illius, quæ ante annos centum & quinquaginta fuit, elegantissimæ controversiæ de regno Tarraconensi, & Siculo, sive de hæreditate MARTINI Regis: & nobilissimi compromissii atque arbitrii, quo ea religiosè est definita: an hæc res tota explicari potest, nisi si exponatur subtile Jus successionis civilis magis, quàm naturalis? Quid, cùm eodem sæculo dicendum erit, de altera, neque dissimili, neque minus nobili subtilique, sed armis magis vexata quæstione, quæ inter duas cognatas familias diversi coloribus rosas, ut olim pannis factiones Aurigantium, insignitas, agitata fuit de Angliæ regno? Funestissimæ sunt bellorum plusquam civilium in ea lite turbæ: sed inclusam premunt bellissimam Juris civilis de legi-

timis hæredibus disceptationem, quæ prius est evolvenda.

§. XI.

Verùm hoc propè perpetuum in historiis est. Hæ enim bella propè perpetua recitant. Bella verò inter Principes esse solent, quòd sunt inter privatos in foro lites, & actiones: neque non aliquis esse solet status causæ, in quo de jure quærat, & quidem de jure Civili sæpiùs, quàm Feciali. Neque armati barbari semper dixerunt, Jus suum esse in armis. Neque etiam semper silent inter arma leges. Itaque & ad illorum historiam, memoriam harum accedere debere dico. Quantum autem lucis ex legum libris ad historiæ monumenta redundare dixi, tantumdem & historiæ memoriam, Jurisprudentiæ Romanæ vicissim conferre, ac veluti reddere iterum dicam. Et quid tandem aliud sunt nostri Juris libri, quàm quædam historiæ Romanæ ἀποσπασµάτια (*)? quæ si suo corpori reddantur, & unde sunt decerpta, iterum veluti inserantur, quis non rectè factum dicet? Quis suo quæque loco, non abrupta, non mutila, non contaminata legere non mallet? Quis negaverit ea ex sua origine, & ejus circumstantiis primùm æstimaanda esse: eorùmque intelligentiam primam inde pendere? Corpus illud Juris (ut appellatur) quod JUSTINIANUS nobis reliquit, conflatum est ex ea legum Romanarum varietate, quæ annis mille, & trecentis jactata est abs Ro-

MULO

(*) Partes avulsæ.

LIB

neque ad Just
de dicitur Jurisp
ia media: sed
ia. Harumque
lex sit, poste
ignitur fieret, ni
ordinem observ
ologiam legum
im multis jam
quos JUSTINIAN
vocate soleo
magis sentio, q
corporis legitim
primis utilem fo
rat de ratione do
amen agi video
em non nescio,
propè viginti doc
nis modis poss
apor, rationem
iavillimam &
ma esse expertu
quæ ad digr
us accedat. Far
us privati partib
jusconsultorum
vices legum, qu
istoria commur
iam (quod facer
Sed reliquas
E

Collectionem.
(*) Analysin,

MULO usque ad JUSTINIANUM. Neque modò alia esse dicitur Jurisprudencia vetus, alia nova, alia media: sed & quot annis propè est mutata. Harúmque legum ea est conditio, ut etiam lex sit, posteriorem derogare priori. Quid igitur fieret, nisi si ex historia, temporum ordinem observemus, & aliquam veluti Chronologiam legum teneamus? Quid multa? Cùm multis jam annis revolvam illam eorum, quos JUSTINIANUS nobis reliquit, librorum (ut vocare soleo) *ζισαγωγὴν* (*), magis atque magis sentio, quandam illius (ut appellatur) corporis legitimi *ἀνάλυσιν* (**), historicam in primis utilem fore: & cùm multi multa disputent de ratione docendi, discendique Juris, nihil tamen agi video nisi si fiat, quod opto. Equidem non nescio, Jus illud, quod jam annis propè viginti docui, tractari atque explicari multis modis posse. Sed eam tandem, de qua loquor, rationem viámque interpretationis & suavissimam & utilissimam & commodissimam esse expertus sum: neque aliam esse didici, quæ ad dignitatem hujus disciplinæ propiùs accedat. Fateor multas esse de multis Juris privati partibus & mysteriis subtilissimas Jurisconsultorum disputationes, tanquam appendices legum, quæ vix quicquam habeant cum historia commune: proptereaque eas separatim (quod facere soleo) evolvendas esse fateor. Sed reliquas tantò magis partes, quæ

E e 5

(ut

(*) Collectionem.

(**) Analyfin.

(ut ita dicam) principales sunt, conjunctim cum historia, ex qua veluti dependent, tractare velim. Atque utinam liceat aliquando mihi serio tentare, quod desidero. *Non est vulgare, quod opto.* Opto historiam universam, sacram, & civilem, veterem & novam, nostram & peregrinam, colligi, & simul Jurisprudentiam priorem & posteriorem, divinam & humanam, coalescere. Denique ex duobus istis veluti corporibus historiæ & Jurisprudentiæ unum conflare velim: & aliis, si persuaserim, ut idem velint, multum me effecisse puto. Quid? In JUSTINIANI libris multa prætermissa sunt, quæ tamen ad Jurisprudentiam planè pertinent. Talia verò nobis historiæ universitas suppeditabit: ut ex hac alterum veluti corpus Juris Romani alterumque Codicem legum malè derelictarum colligi, repetique posse propè dixerim. Saltem de more Majorum, & eorum non solum legibus, sed & institutis, quæ ex historiis repetuntur, quæstio esse sæpè solet, cum de jure civili quæritur. Sed & ubi præjudicia, quæ in judicando sequamur, non occurrunt: persæpe tamen aliquod exemplum dabitur, quod nobis, quid de jure respondendum sit, tacitè veluti præmonstret.

§. XII.

Sic historiam Romanam diligenter & utiliter legerunt veteres Jurisconsulti: & ex facto aliquo, tanquam ex bono fertilique fundo, sæpè regulam Juris elicuerunt: atque etiam ex eo, in quo alius ne vestigium quidem Juris
notas.

Nam arte, t
opus. Non
tulit TRIBONIA
tamen de
CICERONEM
Cailinari
retriculæ. Q
probat in e
s, quibus alio
est. Le
CICERONIS pro C
lesiam in Asia
od ab hæredib
rum sibi medi
plum pro leg
Legerat P
vium visum no
juraverat f
e. Quid tam
um ita demum
si in civitate r
L. V. De capt. e
Romanam cum t
debemus, quis
relicurum Juris
terumque iteru
tam laudare, in
dentia: atque u
u deest, sic etia
is esse. Atque
m non ingemina
quis præstabit:

notasset. Nam arte, ut dixi, quadam & cautione est opus. Non multos (fateor) in *Pandectas* retulit TRIBONIANUS ejus generis locos, sed aliquos tamen descripsit. Legerat PAPINIANUS, CICERONEM Consulem in quæstione conjurationis Catiliniariæ non rejecisse indicium Fulviæ meretriculæ. Quid inde? Inde respondet, atque probat in crimine majestatis audiri mulieres, quibus alioqui accusationis potestate interdictum est. Legerat TRIPHONIUS in oratione CICERONIS *pro Cluentio*, mulierem quandam Milesiam in Asia damnatam esse rei capitalis, quòd ab hæredibus secundis acceptâ pecuniâ partum sibi medicamentis ipsa abegisset. Hoc exemplum pro lege ille laudat. *L. XXXIX. de penis.* Legerat POMPONIUS ATILIUM REGULUM olim visum non esse postliminio reversum, quia juraverat se Carthaginem reversurum esse. Quid tum? Hinc colligit, aliquem captivum ita demum postliminio reversum intelligi, si in civitate remanere & velit & Jure possit *L. V. De capt. & post. revers.* Si historiam Romanam cum tali observatione legamus, ut & debemus, quis non dixerit incredibilem in ea thesaurum Juris civilis reconditum esse? Ergo iterùmque iterùmque prædico, eam me historiam laudare, in qua sit etiam inclusa Jurisprudencia: atque ut hæc supplet, quod illi alioqui deest, sic etiam ex illa hanc eliciendam rursus esse. Atque utinam (cur enim votum meum non ingeminarem) interea saltem dum id aliquis præstabit: ut olim & Pontifices Max.

suorum

suorum Annalium, & Prætores Edictorum suorum Album palam proponebant, sic & studiosi omnes qui Reipublicæ juvandæ nomen dederunt, aliquando sentiant, Album utrumque esse conjungendum. CICERO libro secundo de Oratore (*) loquens de Annalibus maximis, *Pontifex Max. (inquit) res omnes mandabat literis, efferebátque in Album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi.* Ut autem tunc populus talem historiarum tabulam spectabat, sic in *Tabulis XII.* quæ pro rostris erant defixæ, Jus civile legebat. Cúmque una tabula Fastorum, qui dies erant agendi, aliquamdiu à Pontificibus occultata fuisset, tandem CN. FLAVIUS Fastos quoque illos protulit, & in Albo circa forum publicè proposuit, ut idem CICERO scribit. Quod ad Prætores attinet: constat, eos non modò vivâ voce, cùm Magistratum inirent, in concione populi edixisse, quæ essent observaturi in Jure dicundo: sed & hæc sua edicta in Albo proposuisse omnibus legenda. Ut autem cum duodecim Tabulis hæc Tabulæ Prætoris, sic cum Albo Annalium Max. aliæ Tabulæ aliorum Fastorum, qui non, ut illi priores, singulorum dierum conditionem, sed annorum singulorum Magistratus notabant, tandem conjunctæ fuerunt. Quales eæ fuerunt, quarum nuper fragmenta Romæ reperta, & ruinis Capitolii rursus affixa sunt, historiæque Romanæ lucem maximam intulerunt: illas dico, quas VERRIUS

FLACCUS

(*) Cap. 12.

(sic enim de
temporibus Au
believit, marr
colo, quemadm
Grammat
sive SUETONI
Erant eæ qu
Urbe condita
nam singulis
Fastores, Pon
fuissent, bre
formam ere
Erat prof
Pontificum le
in aliquo atr
ut PLINIUS
debant, audi
festo sive He
us de Jure respo
te fundebat or
in forum erat,
Prætorisqu
nyelo illi sive
occurrerent, &
siderent docti,
es, aut transve
abularent: non
ia & schola civ
Certè forum
reterum, sed &
tabulis, quæ Juri

FLACCUS (sic enim doctissimi homines conjiciunt) temporibus AUGUSTI vel TIBERII, in foro, publicavit, marmoreo parieti incisas in hemicyclo, quemadmodum is scribit, qui *vitas illustrium Grammaticorum* olim scripsit, sive PLINIUS, sive SÜETONIUS, sive ejus ætatis alius fuerit. Erant eæ quatuor Tabulæ magnæ, quæ ab Urbe condita usque ad AUGUSTI obitum, quinam singulis annis Consules, Dictatores, Censores, Pontifices, quæ bella, qui triumphus fuissent, breviter indicabant, & ad Hemicycli formam erectæ, atque compositæ prostabant. Erat profectò res præclara, vel in domo Pontificum legere Tabulam Annalium, vel in aliquo atrio, in quo & Majorum imagines (ut PLINIUS (*) ait) cum Tablinis historicis astabant, audire Jurisconsultum, qui in suo sive folio sive Hemicyclo sedens, & consulentibus de Jure respondens, manè tanquam ex tripode fundebat oracula. Sed cum deinde ventum in forum erat, & pro rostris *leges XII. Tabularum*, Prætorisque Album, & in Verriano Hemicyclo illi sive Annales, sive Fasti Consulares occurrerent, & hisce mutis veluti magistris assiderent docti, & disertis tanquam interpretes, aut transverso (sicuti ait CICERO) foro ambularent: nonne excellens erat hæc Academia & schola civilis, Jurisprudentiæ & historiæ? Certè forum Romanum non modò staturis refertum, sed & inscriptionibus & literis & tabulis, quæ Juris & antiquitatis indices essent,

(*) *Lib. XXXV. Cap. 2.*

essent, conspersum atque ornatum erat. Quorum? ut iisdem oculis cives Romani & Jurisprudentiæ, & historiæ suæ summa saltem capita assiduè haurirent, unòque in conspectu, vel aliud agendo, ea legerent. Adèd & civium & Reipublicæ interesse sapientes Romani judicabant, popularem hanc & omnibus familiarem, atque communem uriusque tanquam carminis necessarii memoriam esse. Et mirabitur aliquis, quod optamus, vehementer optare nos, ut saltem in scholis civilibus rursus jungantur hæ tabulæ utriusque generis? & earum interpretationem, atque expositionem sibi mandatam esse tam Jurisprudentes meminerint, quàm & meminisse debent, quibus olim viris Romæ cura Juris mandata est, iis viris & historiæ scriptionem, & memoriæ publicæ consignationem fuisse commissam? Nam non solùm Pontificum Maximorum, qui utriusque Juris custodes & dicebantur, & erant, fuit hæc potestas Annalium conscribendorum: sed & cùm temporibus nostri P. MUCII SCÆVOLÆ, id illi facere desiissent, non modò ejus in Consulatu collega L. CALPURNIUS PISO, quem & multarum legum auctorem, aut dissuasorem fuisse ait CICERO in *Bruto* (*), suscepit hanc curam, sed & Jurisconsulti in Muciano auditorio educati hanc ab illis traditam veluti in decursu lampada acceperunt: ut RUTILIUS RUFUS P. MUCII auditor, atque familiaris, & CÆLIUS ANTIPATER. RUTILIUS qualis quantusque Juriscon-

(*) *Cap. 27.*

LIB

multus fuerit,
 in auditorio cu
 fuit Philofop
 fuit non minor
 & ATHENEUS, c
 ritiam rerum B
 in Mario RUTIL
 & veracem,
 Scripsit & de
 eodem tempore
 res ad L. Fufi
 viles, CICERO
 in vita, atque c
 autem in Pande
 etiam memini.
 noster POMPO
 scripsisse, mag
 re Juris operam
 in Cicero (***)
 sed & Juris
 morum magistu
 in L. LICINIUM C
 tem, nostri Q.
 scripsisse existimo,
 ris, sed & histe
 tate institutum,
 ritiam, quem
 in equitibus (

Cap. 29.

L. 2. §. 40. 79

Bruto cap. 26.

Optimum H

risconsultus fuerit, notum est. Ut autem in Panætii auditorio cum FANNIO educatus, excellens fuit Philosophus Stoicus, sic & historicus fuit non minor. Testes boni sunt VELLEJUS & ATHENÆUS, qui narrant, eum scripsisse historiam rerum Romanarum. Et PLUTARCHUS in *Mario* RUTILIUM historicum landat ut bonum & veracem, quamvis MARIO inimicum. Scripsit & de vita sua libros historicos, sicuti eodem tempore SCAURUS vir clarissimus, cujus tres *ad L. Fusidium* de vita ipsius acta, libros utiles, CICERO in *Bruto* (*) laudat, & cum Cyri vita, atque disciplina comparat. FUSIDIUM autem in Pandectis inter Jurisconsultos laudari etiam memini. Quod ad ANTIPATRUM attinet, noster POMPONIUS (**) ait, eum historias scripsisse, magisque eloquentiæ, quam scientiæ Juris operam dedisse. Scriptorem tamen ait CICERO (***) , fuisse non modò luculentum, sed & Juris valde peritum, & quidem multorum magistrum, ut L. CRASSI. quem quidem L. LICINIUM CRASSUM, summum illum Oratorem, nostri Q. MUCHI in Consulatu collegam fuisse existimo, & tam abs suo non solum Juris, sed & historiarum doctore bene & liberaliter institutum, ut alterum illum CRASSUM Divitem, quem PLUTARCHUS laudat tanquam *ισορικότατον* (****), superaret, lubenter

(*) *Cap. 29.*

(**) *L. 2. §. 40. περὶ de O. J.*

(***) *Bruto cap. 26.*

(****) *Optimum Historicum.*

benter audio. Denique ANTIPATRUM nostrum, ipsi FANNIO (quem etiam historicum laudat PLUTARCHUS in *Tib. Graccho*) ætate æqualem, præferre, & reliquis superioribus historicis scriptorem magis accuratum fuisse, CICERO significare videtur *Libro primo de Legibus* (*). Quinimo ADRIANUS Imperator eum SALUSTIO præferebat: sed nimiâ fortasse quâdam antiquitatis admiratione.

§. XIII.

Quid dicam de Q. AELIO TUBERONE, quem eadem illa ætas tulit, quémque noster POM-
PONIUS, ut excellentem philosophum Stoicum, sic & Jurisconsultum Mucianum, hoc est, præstantissimum, fuisse significat. Fuisse autem & summum historicum accepimus. Nam & DIONYSIUS & LIVIUS & GELLIUS eum hoc nomine laudant: & quidem LIVIUS *Libro quarto* (**), TUBERONIS diligentiam, & judicium, commendat, cum eum in quadam Veterum dissensione professum quidem esse libros ligneos auctores, sed propter aliorum antiquorum scriptorum aliam traditionem, hæsisse tanquam incertum veri, narrat. Hujus TUBERONIS filium fuisse intelligo illum L. AELIUM, quem CICERO (***) ait, antiquitatis Romanæ, & in inventis rebus, & in actis, scriptorumque veterum literatè peritum fuisse. Quam
scien-

(*) *Cap. 2.*(**) *Cap. 23.*(***) *In Bruto cap. 56.*

scientiam VARRO acceptam ab illo, pluribus & illustrioribus literis explicaverit. Hunc tamen AELIUM magis Stoicum philosophum, quàm aut Jurisconsultum, aut Oratorem fuisse narrat CICERO. Sed pronepotem reliquit TUBERONEM, cujus in *Pandectis* sæpe laudatur Jurisprudencia. Ergo & in hac familia est conservata illa, quam nunc aliis commendo, conjunctio studiorum. Age verò: dicat CICERO, maximè esse Oratorium opus, historiam scribere. An Jure dicere non potero, non minus hoc esse Jurisconsultorum? Ac illis quidem, quos jam laudavi, Romanis Jurisconsultis historicis nunc lubenter adjungam eum, qui paulo antiquior superioribus, de quibus dixi, fuit, SERVIUM FABIUM PICTOREM: quem quidem CICERO in *Bruto* (*) ait, bene peritum fuisse & juris, & literarum, & antiquitatis: cujusque libri rerum gestarum, & juris Pontificii à MACROBIO, & NONIO laudantur. Sed SISENNAM illis posteriorem hìc laudavero, quem, ut CICERO *Libro primo de Legibus* (**) ait facile superiores historiæ Rom. Latinos scriptores superasse: sic & Prætorem, eumque Urbanum, hoc est, Juris civilis custodem, Romæ fuisse accepi. Nam & in fragmentis orationis CICERONIS *pro C. Cornelio* animadverti fieri mentionem edicti de bonorum possessionibus, quod hic SISENNA proposuerat. Prætereo SCIPIONEM illum

(*) *Cap. 28.*

(**) *Cap. 2.*

illum AFRICANI filium, adoptivum patrem alterius AFRICANI, à quo historiam quandam Græcam scriptam esse dulcissimè, ait CICERO. (*) Sed imprudens ferè præterieram, quem in hoc ordine primùm numerare atque laudare debui, CATONEM, qui & prudentum princeps fuit, & quantus fuerit historicus jam ante tempora P. MUCII, testes fuerunt ejus libri Originùm. An nos non excitabunt talium Jurisconsultorum exempla? Sanè & ipsius P. MUCII ætate POLYBIUS, cùm illis Annalibus, qui licet breves, & angusti essent, tamen Maximi appellabantur, quia conficerentur à Pontificibus Max. minimè satis explicari posse res gestas, intelligeret, ille (inquam) POLYBIUS, homo quidem Græcus, sed Romanorum etiam Imperatorum dux & præceptor, cœpit fusiùs, atque diligentius exponere universam historiam. Fuit hoc (credo) pergratum nostro P. MUCIO, & cùm ipse in Reipublicæ administratione tam esset totus, ut (quod tamen ejus & Pontificatus Max. & Jurisprudentiæ principatus postulare videbatur) Annalibus consignandis operam dare vix posset, non molestè tulit, ab homine quoque Græco, qui rerum bene peritus erat, & doctrinâ, sapientiâque præstabat, hanc curam suscipi.

§. XIV.

Quid igitur? An disiungi voluit, quæ hætenus fuerant conjuncta? Imò verò POLY-

BIUS

(*) *In Bruto Cap. 20.*

BIUS cùm fieret historicus, factus etiam Jurisconsultus est, & quidem talis, tantusque, ut & Achæorum vehementer hoc ambientium, omniumque civitatum, quæ sese Achæis conjunxerunt, hoc est, sapientissimarum civitatum, legum lator fuerit, & Reipublicæ rectè constituendæ, atque gubernandæ Princeps, quemadmodum scribit PAUSANIAS. Sic enim, qui historiarum bene peritus erat, imprimis idoneus esse visus est, non modò ad res gerendas, hoc est, ad bella administranda, sed & ad Jus dicendum, & ad civitatem regendam: & verò propterea SCIPIONIS Africani summi Imperatoris præceptor, comèsque fuit. Descripsit Romanam historiam eorum temporum, quibus Romani bellis gerendis, potiùs quàm legibus ferendis occupati fuerunt: sed quibus tamen temporibus optima, sapientissima, præstantissima fuit eorum Respublica. Itaque & ille de rebus civilibus in historia tam prudenter differit, ut (quæ Jurisprudentiæ prima, summâque pars est) artem (ut ARISTOTELIS verbo utar) κυβερνητικὴν (*) etiam docuisse videatur: sitque propterea dignus, cujus memoriæ consecrarentur illa, quæ olim apud Athenienses fuisse PLUTARCHUS in *Theseo* narrat, festa κυβερνησια. (**)

Ut autem hanc prudentiam colligeret, pervagatus erat & maria, & terras: sicuti honoris causâ inscriptum ejus statuæ fuisse

F f 2

ait

(*) Artem gubernandi.

(**) Dies Festos, ad gubernandum pertinentes.

ait PAUSANIAS: atque ut alter *Ulysses*, multorum mores spectavit, & urbes: qualem sive *ισορίαν* (*) sive *πολυτροπίαν* (**). ARISTOTELIS in legum latore requirit. Sed quem ille rerum usum tot & laboribus, & periculis quaesitum, cum doctrina liberali conjunxit, suis monumentis nunc fruendum nobis etiam in umbra sedentibus offert. An eo non uteremur? Ipse M. BRUTUS (at qualis, quantusque vir?) medio in ardore, & strepitu belli, in ipsis POMPEII castris, & propè in procinctu, atque acie, paulò antequam commissa est pugna Pharfalica, contrahebat, conficiebátque Epitomen historiae Polybianae, quam legendo propè triverat. Neque verò híc mihi aliquis rideat historicum, & propè togatum militem, quem vix ipsa tuba potest abs libris abstrahere. Non enim temerè tunc in iis hærebat BRUTUS: neque tanquam securus aliquis *Archimedes* erudito pulvere implicatus obsurduerat ad hostium fremitum. Sed libros audiebat rem militarem melius docentes, quàm ulla fecisset in ipsa acie concio ullius Imperatoris.

§. XV.

Quidni enim & hanc ego disciplinam historiae acceptam feram? Certè qualiscunque tandem sit ars militaris, eam ex stratagematum historia collectam esse constat. Sed ne ineptus videar, vererer, & *Hannibalis de Phormione*

(*) Historiam.

(**) Ingenium multiplex, versatile.

mione iudicium vetus reformidarem, si pluribus eam rem verbis persequar. Illud modò dicam: non temerè BRUTO placuisse exemplum ipsius LUCULLI: quem quidem scribit CICERO, (*) cùm ad Mithridaticum bellum missus esset à Senatu, sic iter, & navigationem confecisse, partim in percunctando à peritis, partim in rebus gestis legendis, ut in Asiam venerit factus Imperator, qui Roma profectus erat rei militaris rudis: tantusque Imperator in omni belli genere fuerit, ut MITHRIDATES, ille Rex post ALEXANDRUM maximus, hunc à se majorem ducem cognitum, quàm quenquam eorum, quos legisset, fateretur: in eodémque tanta fuerit prudentia in constituendis, temperandisque civitatibus, tantaque æquitas, ut hodie (inquit idem CICERO) stet Asia LUCULLI institutis servandis, & quasi vestigiis persequendis. Ergo & hunc juvat admirari nobilem historiæ alumnum, qui ex ea tantam rei civilis, militarisque peritiam hausit, quantam percipi posse dico. Neque verò ingratus fuit, qui cùm historias legisset diligenter, & quantum Reipublicæ prodesse possent, expertus esset, sedulò ad eas scribendas se contulit, & ut aliis quoque populis hunc thesaurum communicaret, Græcè scripsit, atque ita scripsit, ut non viderentur ab homine Romano scriptæ. Sed & in eo etiamnum adolescente tantum in hoc genere studiorum fuit fiduciæ, ut ipsum

F f 3

HOR-

(*) *Quæst. Academ. Lib. II. Cap. 1.*

HORTENSIUM, & SISENNAM provocare ausus sit sponse, n̄ historiam belli Marfici, sive Græcâ, sive Latinâ, sive solutâ, sive versibus astricta oratione, rectiùs conscriberet. Ergo & ipse SULLA talem juvenem tanti fecit, ut rerum abs se gestarum commentarios abs se conscriptos ad illum tanquam judicem, Censorem, atque emendatorem miserit: & in Sulano comitatu hærentem Cyrenenses, quorum erat perturbata Resp. mirabili animorum inductione appellaverint, talémque sibi dari legislatorem vehementissimè flagitarint. Neque eos vel opinio, vel spes, & expectatio fefellit. Nam cumulatè ille præstitit, quod ne ipse quidem PLATO, Cyrenensibus rogantibus, suscipere ausus fuerat. Et dubitamus adhuc, quanta earum, de quibus nunc loquor, litterarum vis, & potestas sit? CICERO *pro Cor. Balbo* (*) narrat, POMPEJO in Hispaniam ad grave, periculosúmque bellum proficiscenti, lege latâ datam esse potestatem, eos civitate donandi, qui se pro Reip. Rom. defensione strenuos præstitissent. Quid tunc POMPEJUS? Idem CICERO *pro Archia*, (**) *noster* (inquit) *magnus, qui cum virtute, fortunam adæquavit, nōne Theophanem Mitileneum scriptorem rerum suarum in concione militum, civitate donavit?* Sed & divinos huic THEOPHANI mortuo à Græcis honores habitos esse scribit CORNELIUS TACITUS. (***)

Neque

(*) *Cap. 3.*

(**) *Cap. 10.*

(***) *Annal. Lib. VI. Cap. 18.*

Neque dubium est, tam hoc POMPEJO gratum fuisse, quàm SCIPIONIS Africani manibus gratum fuit, ENNI sui historici, statuam marmoream suo sepulchro impositam esse: ut, quem vivens charissimum habuerat, mortuus etiam socium, & comitem haberet. Verum historiæ magnum decus laudavero, si tres Principes adjunxero, SULLAM, CÆSAREM, AUGUSTUM, quos illa tantopere celebravit, non eorum minus erga se, quam suis erga illos beneficiis, meritisque devincta: illos dico tres maximos in maxima Rep. (si qui unquam magni fuerunt) viros, & admirabili rerum sive gerendarum scientia, sive gestarum gloria nobilissimos: ac quidem in toga non minùs, quàm in sago: domi (inquam) & foris: quò magis in utroque genere magistrum eorum agnoscamus, quam & illi vicissim exornarunt, cùm quidem præclarè & facerent scribenda, & scriberent facienda. COR. SULLAM commentarios rerum abs se gestarum conscripsisse libris XXII. & quidem duobus ante mortem diebus eos absoluisse, PLUTARCHUS, qui eos legit, & sæpe laudat, testis est. Itaque videri posset SULLA ultrò se abdicasse dictaturâ, ut in privato ocio illis dictandis, atque componendis operam daret: sicuti & cùm abdicaret, in foro palàm professus est, sese suorum actorum rationem redditurum esse: cùmque meminerimus, quo morbo laborarit, & extinctus sit hic sexagenariùs senex: cogitamus valde huic studio deditum fuisse, cui neque horribilis mor-

bi vexatio, neque mortis instantis terror potuit opus inchoatum eripere. Adeò ille & Imperio, & vitâ historiam hanc habuit chariorem. Neque verò dubito, quin & in eam suas *leges Cornelias* imprimis retulerit, ut & in eorum librorum interitu magnam Jurisprudentiæ jacturam fuisse non nesciamus. Nihil jam de CRISPO SALUSTIO dicam (quanquam meritò dictus sit CRISPUS Romana primus in historia) qui gloriatur se composuisse res P. R. militiæ, & domi gestas, *M. Lepido*, *Q. Catulo* Cofs. & deinde, hoc est, à morte SULLÆ. Sed non dubito, excellentem, & cum Sullana aptè conjunctam historiam fuisse: quam principes in Rep. viri sæpè legerent: ut CATO nescio quos commentarios actorum à temporibus SULLÆ usque ad suum magistratum, quinque talentis emisse & semper in manibus gestasse dicitur.

§. XVI.

Venio ad JULIUM CÆSAREM, qui jocabatur, SULLAM nesciisse literas. Extant ejus commentarii, qui quantopere historiam eorum temporum ornent, non est obscurum: neminèque esse existimo, qui CICERONIS de iis rectum judicium, quàm ASINII POLLIONIS invidiosam animadversionem, pluris non faciat. Credo equidem ejus generis fuisse libellos illos, quos in Alexandrina seditione CÆSAR præcipitatus in mare, & per ducentos passus nare coactus, ne madefierent, elata manu tenebat, ore trahens paludamentum. Adeò nihil habebat

bat iis monumentis antiquius. Nescio quæ
barbara postea tempestas, & injuria temporis
eos, tanquam demersos, & fluctibus novis ob-
rutos, nobis eripuerit. Sed vellem, tantum
illi adversaria factio concessisset, vitæ & tem-
poris: vel ille, exemplo SULLÆ, abdicasset,
ut in ocio potuisset integram omnium suorum
actorum historiam contexere. Quantum &
illa lumen nobilissimarum legum rerumque
civilium fuisset?

§. XVII.

Tertius, cujus tempora non minùs illu-
stre argumentum historicis suppeditarunt, fuit
AUGUSTUS. Is itaque de vita sua libros mul-
tos scripsit, quos & Jurisconsulti nostri luben-
ter, ac diligenter legerunt. Nam in *Pandeëtis*
etiamnum extat ULPIANI (*) locus, ubi tam lau-
datur decimus liber AUGUSTI de sua vita, ut
etiam legis loco sit, quod in eo AUGUSTUS scri-
psit se observasse, ut corpora eorum, qui ca-
pite damnantur, cognatis ipsorum non nega-
ret. Citat & commentarios AUGUSTI PLU-
TARCHUS in *Bruto*: & APPIANUS in *Illyrico* luben-
ter confitetur sese eos legisse, quibus ille res abs
se gestas, gentesque devictas exposuerat. De-
nique & ejus commentarios ad *Agrippam* &
ad *Mecænatem* laudat PLUTARCHUS, ubi CICE-
RONEM cum DEMOSTHENE comparat. Cinge-
bat AUGUSTUM doctissimorum hominum qui-
dam veluti chorus, minimè aut mutus, aut

Ff 5

segnis.

(*) L. 1. π. de cad. pun.

segnis. Erat & illi familiaris ipse LIVIUS. Sed maximus Imperator, quid sui etiam muneris esset, sciebat: & quibus literis suam Reipublicæ regendæ facultatem acceptam ferebat, eas ipse literis suâ quoque manu, privatôque studio magis atque magis colere, atque propagare voluit: iisque non minorem, quàm armis aut legibus, operam propterea dedit, quò magis nos tali exemplo incitaret. Neque modò suorum temporum, sed & superiorum historiam scripsit. Itaque & PLUTARCHUS, ubi de *Marcello & Annibale* agit, laudat historias, non modò LIVII, sed & AUGUSTI: & iis potiùs, quàm ipsi etiam POLYBIO, fidem habere se profitetur. Et quem tandem non variè afficiat illa historia civilis, quam admiror imprimis, & abs maximis viris, auctoribùsque nobilissimis explicatam esse gaudeo, illam dico, quæ à temporibus SULLÆ usque ad AUGUSTUM versat Reipublicæ Romanæ orbem? Quàm enim varias rerum conversiones, subtiliùmque consiliorum miras insidias, tanquam cuniculos, & iis oppositas multiplices cautiones ostendit: ut concurrentibus, ac veluti commissis ingeniis summis, atque acerrimis domi, forisque videamus congregi virtutem, prudentiam, doctrinam, eloquentiam, illustri & excelso positam in loco? Nominavi principes aliquot in ea maxima Rep. viros, qui & agendo, & scribendo illustrarunt historiam, atque Jurisprudentiam. Nescio, verecundior AUGUSTO fuerit, an ambitiosior, ADRIANUS, qui de sua
vita

L I
 viros abs se
 ut ipsi eos su
 madmodum scr
 rarius maxim
 nem tam de J
 gaudeo hist
 agni & sapient
 ne verò nunc
 max, qui licet
 ris multum op
 men vecors fu
 nim naturam p
 ut ejus ingeni
 nam historiae
 quantumvis ta
 nomen lectio,
 videtur, ut &
 nia dixerit. C
 rent Juba Rex,
 eam scripsit
 vtriusque
 nis (ut ait PLI
 nego, nobilit
 nem PLUTARCH
 qui unquam
 corum præstar
 de Africana,
 mentum esse ta
 vita Adriani C
 Lib. IV. Cap. I.
 in Sertorio.

vita libros abs se scriptos libertis literatis dedit, ut ipsi eos suis nominibus publicarent, quemadmodum scribit SPARTIANUS. (*) Sed hunc rursus maximum, & præstantissimum Imperatorem tam de Jurisprudencia præclarè meritum, gaudeo historicum etiam scriptorem fuisse, qui & sapientissimus, & literatissimus fuit. Neque verò nunc aliquis mihi objiciat Imp. CLAUDIUM, qui licèt in legendis, scribentisque historiis multum operæ, temporisque posuerit, tamen vecors fuerit, & propè fatuus. Neque enim naturam planè mutare potuit: neque erat ejus ingenium, in quod tanta sapientia, quantam historiæ suppeditant, cadere posset. Verum quantumvis tardus, & hebes fuerit, sic earum tamen lectio, hominis stuporem castigasse videtur, ut & viderit multa, & sapienter multa dixerit. Cæterùm hîc mihi in mentem venit JUBA Rex, qui & illi fuit familiaris, & ad eum scripsit quædam historica, ille (inquam) vtriusque Mauritanie Rex JUBA, sed studiis (ut ait PLINIUS) (**) memorabilior, quàm regno, nobilissimus (iterum dico) Rex ille, quem PLUTARCHUS (***) scribit fuisse omnium, qui unquam fuerunt Regii sanguinis, historicorum præstantissimum; quémque non modò de Africana, sed & Romana historia bene meritum esse tam agnovit ipse CLAUDIUS,

ut

(*) *in vita Adriani Cap. 16.*

(**) *Lib. V. Cap. 1.*

(***) *in Sertorio.*

ut Cæsaream, ejus gloriam, in Tingitania, Coloniae Jure donaverit. (*)

§. XVIII.

Brevius fecero, si dixerò me meliori Jure affirmare posse de historia, quod aliquando dixit CICERO de *Agricultura*. Ait, nihil sibi regalius videri, quàm studium agri colendi. Ego verò dixerim, studium historiarum multò esse regalius: neque Regibus modò, sed & omnibus, qui aliquam alicujus Reip. partem gubernandam susceperunt, imprimis dignum esse. Fortasse diutiùs, quàm sit necesse, in hac commemorationè hæreo, vereorque, ne historiam, quam nondum ingressus sum, intempestivè delibare videar. Sed difficile est, ab ea, si vel leviter attigeris, abstrahi. Interea utcunque feci, quod volebam, ut indicarem, quos Rom. Resp. clarissimos gubernatores habuit, eos olim ex historiæ schola, tanquam ex equo Trojano, prodiisse: & quos Jurisprudencia imprimis laudat auctores, eosdem laudari posse historiarum magistros. Neque tamen, quod fortasse magis facere debebam, adhuc nostros illos Jurisconsultos, ex quorum responsis *Pandectæ* congestæ sunt, in hoc genere laudavi. Sed quantum illi & debuerint, & tribuerint huic studio, quantumque ab eo ad Jus dicendum, regendamque Remp. retulerint, breviter dicere vix possem. Illud tamen saltem unum dicam: Optimum, & sapientissimum eorum Imperatorem

(*) vid. PLINIUS *Lib. V. Cap. 2.*

rem ALEXANDRUM SEVERUM, qui Jurisprudentiæ majestatem comiter conservavit, quoties de Rep. deliberaret, sive res esset militaris, sive civilis, nullos magis, quàm literatos, hoc est, veterum literarum consultos, advocasse, consuluisse, audiisse. Ac LAMPRIDIUS (*) quidem ait, hunc, si de re militari ageretur, maximè eos, qui historiam norant, adhibuisse. Sed quis dubitat, quin multò id magis faceret, cùm de re civili quæreretur? Cùmque dicatur, nullam legem tulisse sinè XX. Jurisperitis, & aliis XXX. viris doctissimis, atque discretissimis: quis non dixerit, in eorum ordine primos fuisse historiarum peritos?

§. XIX.

Neque tamen dissimulo, quosdam, qui illi aderant, Jurisconsultos, aliquando earum non peritissimos fuisse videri. Saltem illa Pomponiana historiæ Romanæ epitome, quæ Pandectis præfixa est, nisi si TRIBONIANI aut librorum culpa sit, habet aliquid ἀνισογνοίας, (***) si ingenuè confiteri, quod res est, licet. Atque hîc quidem mihi in mentem venit DIO: illum dico DIONEM, qui eo tempore cùm sedisset inter nostros Jurisconsultos, neque iis in Reipublicæ administratione cessisset, tandem secessit, ut historiam Romanam ab urbe condita usque ad suam ætatem, quæ annorum propè noningentorum historia nobilissima est,

(*) in Severo Cap. 16.

(**) Imperitiæ historiarum.

est, diligentius conscriberet. Quod quidem diligentissimè eum perfecisse non invitus confiteor; tametsi eum videam nostris Jurisconsultis malignè invidisse. Sed quos in jure civili consequi non poterat, in historia superare conatus est: credoque Jurisconsultos tam fuisse ingenuos, ut hanc ei laudem lubenter tribuerint. Sanè CAPITO Jurisconsultus hortatus aliquando est PLINIUM, ut historiam scriberet. Sed ipse dignus erat, cui PLINIUS responderet, quod TACITO tale quippiam postulanti responderat. Nam neque eam minùs præclarè, quàm TACITUS, noster CAPITO fortasse scribere potuisset: quem quidem totius antiquitatis peritissimum fuisse PLINIUS, aliis alioqui Jurisconsultis aliquando iniquus, etiam fateatur. Suspicio, quæ occupationes CAPITONEM tali scriptioni operam dare passæ non sunt, iisdem occupationibus alios ejusdem ordinis Jurisprudentes fuisse ab ea distractos. Sed si jam ad nostra tempora, quæ maximis, & doctissimis hominibus, hoc est, Jurisconsultis *ἱστορικωτάτοις*, (*) & historicis Jurisconsultissimis abundant, descendere vellem, facilè equidem cum multorum laude perficerem, ut auditores nostri magnis eorum exemplis excitati, majori studio, maximæque contentione animorum persequerentur illam necessariam studiorum conjunctionem, quam tantoperè commendo. Cæterùm in eam commemoratio-

nem

(*) Versatissimis in historiarum scientiâ.

nem nostrorum veluti ducum, & magistrorum nunc ingredi non ausim, ne, si de singulis dixerem, infinita sit oratio; si non de omnibus, ingrata. Si avorum nostrorum ætatem, & superiorum aliquot sæculorum memoriam replicemus, fateor, non occurrere tam in hoc genere præclara nostri ordinis lumina. Sed ne illa quidem ætas planè sibi defuit. Nam & quo tempore equites Galli & Belgæ habuerunt suum PHILIPPUM COMINÆUM, quem jactabant, & gloriabantur cum veteribus historicis esse comparandum: Jurisconsulti & in Hispania habuerunt quendam AELIUM ANTONIUM maximi sui Regis FERDINANDI historicum scriptorem literatum: & in Italia (ut de DONATO BOSSIO Mediolanensi nunc non loquar) suum PANDULFUM COLLINUTIUM: quem & Germania latinè orantem admirata est legatum ducis Ferrariensis ad Imperatorem MAXIMILIANUM, & ipse POLITIANUS tanti fecit, ut supra modum laudaret.

§. XX.

Alius fortasse & AELII illius ANTONII de rebus Hispanicis latinè scriptas, & COLLINUTII Italicas Regni Neapolitani historias non cedere FRANCIS COMINÆI monumentis contenderet. Ego sinceræ bonæque fidei laude COMINÆUM, alios literarum gloriâ excelluisse agnosco. Utinam verò majorem in iis Jurisprudentiam laudare etiam possem. Cùm COLLINUTIUS describit deliberationem de CORRADINI supplicio, aspergit quippiam ex libris legum.

gum. Sed res merebatur dijudicationem illustriorem: sicuti & illa, quam delibat, quaestio de Jure ALPHONSI in regno Siculo, vel Neapolitano. Verùm hi non erant fortasse tam Jurisperiti historici, quàm dicebantur. Nostra aetas meritò admirata est, & historiae causâ, PAULUM JOVIUM, & Jurisprudentiæ, ANDREAM ALCIATUM: & tam arctam eorum amicitiam, atque conjunctionem, ut illius pagina prima, hujus nomen præ se ferat, lubenter vidit: hocque exemplo studium utrumque magis atque magis coalescere in uno posse putat. Sed majora decora sunt, quæ nunc prædicare vellem, CICERO libro III. de Legibus (*) scribit, post PHALERÆUM illum DEMETRIUM, qui mirabiliter doctrinam ex umbraculis eruditorum ociòque, non modò in aciem, atque in pulverem, sed in ipsum discrimen aciemque produxit, vix quemquam (tametsi se verecundè excipiat) deinde inveniri potuisse, qui utrâque re excelleret, ut & doctrinæ studiis & regenda civitate princeps esset. Verùm ne nostra quidem aetas tam effœta est, quin plures etiam DEMETRIOS proferre nunc possit, si & ad res gerendas producantur, & suas ipsi literas proferant, qui in utroque genere excellere possunt.

§. XXI.

Quales fuerint DEMETRII actiones, historia exponit. Quales ejusdem scriptiones in historia fuerint, ex reliquiis, quas alii scriptores citant, & ipse PLUTARCHUS in suis *Vitis* laudat

(*) Cap. 6.

dat, æstimare utcunque possumus. Sed quis de multis, qui hoc sæculo florent, viris magnis, majora non speret? Ut verò talium virorum semen non intereat, vellem, & valde profectò vellem, talem aliquando aperiri ludum civilium studiorum, ex quo Prudentes eruditi non ad privatam modò Jurisdictionem, sed & ad majorem tuendæ Reip. facultatem, & Imperiorum rectionem prodeant. Quamdiu quidem certè in scholis nostris tantùm texentur, & retextentur subtiles quædam, & exiles, & propè inanes theoriæ, tanquam tenues telæ cujusdam ociosi juris in suis apicibus, & umbra pendens: nihil agimus. Equidem multos jam annos consumpsi in jure docendo, neque ejus adhuc me laboris pœnitet: & lubenter prædico aliorum in eo genere bene positos labores. Sed majus quippiam desidero: & ubi consistendum non est, multos, qui altiùs ire possent, ibi hæere implicatos tanquam in luto, vehementer doleo. Saltem nunquam putabo temerè factum esse ab ARISTOTELE, quòd reprehenderit eos juris doctores, qui jus privatum *περὶ τῶν συναλλαγμάτων*, (*) tantùm docent: publicum de bello, de pace, de fœderibus, de vectigalibus non attingunt. Id verò si exponendum etiam est, ut est omnino; nonne in primis accersenda est historia? Non est satis, posse nos *λεπτολογεῖν* (**) vel de pactis nudis,

vel

(*) De commerciis.

(**) Subtiliter disserere.

vel de jure sui, vel de talibus mysteriis, quorum vix ullus nunc usus est. Longè sunt aliæ in Republica nostra quæstiones, de quibus dicenda est sententia: neque dici rectè potest, præterquàm ex formula antiquitatis. Atque hîc mihi de studiorum civilium conditione cogitanti quippiam historia ipsa suggerit, quod non dissimulabo. PLUTARCHUS *in Agesil.* narrat, XENOPHONTEM ab AGESILAO accersitum esse, ut pueros Spartanos doceret artem parendi, atque imperandi, quâ nulla sit præstantior. Equidem ejus artis idoneum doctorem fuisse XENOPHONTEM existimo, non modo quòd philosophus, sed multò magis quòd historicus esset. Si dicam tales nunc doctores scholis civilibus præficiendos esse, qui ex historia, & Jurisprudencia repetant, & doceant talem artem: credo, statim veniet in mentem vetus illud,

*Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) paci que imponere mo-
rem. (*)*

Idem PLUTARCHUS *in Themist.* narrat, SOLONEM illum & doctissimum, & sapientissimum legislatorem, fuisse cujusdam civilis sapientiæ professorem, quæ auditoribus ingeneraret judicium, ad Reipublicæ gubernationem, non minus, quàm si longus rerum usus accessisset, benè comparatum; ejusque scientiæ, cujus schola diu conservata fuerit Athenis, primum docto-

(*) VIRGILIUS *Aeneid. Lib. VI. v. 851.*

doctorem fuisse quendam MNESIPHILUM PHRE-
 ARIUM, THEMISTOCLIS præceptorem, virum in
 ea doctrina præstantem, licet neque oratoriæ
 eloquentiæ, neque Philosophiæ naturalis stu-
 dio deditus esset. Sed alios, qui successerunt,
 corrupisse hanc disciplinam, & nescio quam
 artem litigandi illius loco docuisse; propte-
 reaque discipulos pro sophis factos esse sphi-
 stas. Non lubet nunc eodem exemplo queri
 de corruptione nostrarum civilium scholarum.
 Sed quis non videt primam mali labem? Et
 quis non desideret, eas scholas non modò ad
 acutam aliquam elegantiam erudiri; sed multò
 magis ad majorem sapientiæ, rectique judicii
 gloriam attolli? Equidem si quid possem vel
 dicendo persuadere, vel rogando impetrare,
 peterem, postularem, flagitarem, ut ii, quibus
 mandatum est, videant, ne quid Respublica
 detrimenti capiat, aliquando tandem juventu-
 tem ex spinetis inutilium disputationum, ex
 eoque umbratili, & ocioso ingeniorum ludo,
 vel potiùs dirâ carnificinâ, ereptam traduce-
 rent ad studia meliora. Satis jam supérque il-
 læ cruces exereuerunt vexaruntque ingenia
 præclara. Satis & temporis, & operæ positum,
 & propè perditum est in contortis (ne quid
 acerbius dicam) ænigmatibus evolvendis. Cur
 his, propè dixi nugis, etiam postponimus fe-
 ria, quæ laudo, studia, & literas optimas, maxi-
 mas? TACITUS (*) eodem, quo Plutarchus,

Gg 2

tem-

 (*) de Orat. Cap. 29.

tempore, loquens de corrupta togatæ juven-
tutis institutione, conqueritur, nec in auctori-
bus (ut ait) cognoscendis, nec in evolvenda
Antiquitate, nec in notitia vel rerum, vel ho-
minum, vel temporum satis operæ infumi:
sed expectari nescio quos Rhetores &c. Con-
queritur etiam, eloquentiam circumcisam, sine
apparatu, sine honore, & propè sine ingenui-
tate, quasi unam ex sordidissimis artificiis ad-
disci, cum & disertis eorum temporum, igno-
rent leges, non teneant senatusconsulta, jus
civitatis ultrò derideant, sapientiæ studium &
præcepta Prudentum penitus reformident.

§. XXII.

Equidem conqueri multò magis possem
de ineptis, & inanibus studiis juris circumcisi,
quod sordidè docetur. Sed nunc non juvat
indulgere querelis. Cæterùm cum cogito,
quænam illa fuerit Mnesiphilina disciplina,
quam ab PLUTARCHO laudatam esse dixi, aliam
cogitare non possum, quàm historicam: ne-
que illius restituendæ aliam possum inire ra-
tionem, quàm historiæ, & Jurisprudentiæ con-
junctionem. Viderint Academici, quo jure
sefe olim appellarint philosophos politicos:
viderint Peripatetici, qui suam disciplinam re-
ferri ad Rerum publicarum rectionem gloria-
bantur. Ego hanc demum laudem tribuero
illis literis, quas commendo: sicuti & histori-
cos libros rectè appellari libros Principum,
lubenter agnosco: & quod Principibus præ-
scribitur, omnibus Rerum publicarum guber-
toribus

roribus præscribi sentio. Scribant alii, quod volent, de Principum educatione, institutione, & (ut verbo CICERONIS utar) catechesi. Teneo illud Op. Max. Imp. THEODOSII ad HONORIIUM suum filium, quod CLAUDIANUS (*) eleganter expressit, præceptum,

*Interea Musis, animus dum mollior, instes,
Et quæ mox imitere, legas, nec desinat unquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos evolve Duces, &c.*

Si huic mandato patris paruisset HONORIUS, tam & se, & paternum, suumque servasset imperium, quàm, quia illius immemor fuit, utrumque miserè perdidit. Sed quàm magno suo malo, oblitus paterni præcepti est, tam illius admonitionis sapientes deinde & boni quidam Principes usum explicarunt magna cum sua laude, & Reip. salute. Ac ne longius abs THEODOSII patria, familiæque recedam, liceat hîc mihi duos ex Hispania ALPHONSOS repetere, quos etiam cum TRAJANO & THEODOSIO comparare liceat. Liceat nunc meo animo paululùm indulgere, & præteritis aliis, quos literæ Græcæ, latinæque prædicant satis, illorum memoriam colere, quibus cur assentari velim, nulla suspicio est: & quibus tamen tantùm debent literæ, quas illi propè sepultas, ut potuerunt, excitarunt, ut si in eorum laudibus nunc mutæ sint, nimium futuræ sint in-

Gg 3

gratæ:

(*) de IV. Conf. Honor. v. 396.

gratæ: denique qui, quo tempore de literis, & disciplinis actum esse videbatur, triumphantem barbariem perculerunt; & signo altè sublato illas bene sperare jusserunt: ut etiam ad id, quod nunc agimus, exemplum nobilius proferri vix possit, quod nostri imitari debeant.

§. XXIII.

An non est admirabilis prior ille ALPHONSUS, qui ante annos trecentos, leges suæ Hispaniæ dedit, historiam collegit, mathemata illustravit? Divinum profectò fuit ejus beneficium, cùm in media illorum temporum caligine, tot & sumptibus, & laboribus tabulas astronomicas confecit, & motuum cœlestium canones restituit. Sed an minori laude digna fuit ejus voluntas, cùm præterea jussit Historiam conscribi, quam etiamnum vocant Generalem? Audierat patrem suum FERNANDUM mandasse RODERICO, Antistiti Toletano, ut rerum in Hispania gestarum, quarum memoriam, non tam Gothia, quàm Arabica vastatio deleverat, historiam ad sua usque tempora colligeret. Sed patrem in hoc genere superare filius generosus (quod in ea non modò tempestate, sed & gente mirari satis non possum) conatus est. Audio, eum quadringenta aureorum millia impendisse ad mathematum restitutionem, & remunerandos Mauros, atque Saracenos, quos ex Corduba, & Africa eo nomine evocaverat, cùm jam soli superessent, qui tales docere, & in integrum restituere disciplinas possent. Sic enim & ipsum ALEXANDRUM
supe-

superare voluit, qui ARISTOTELI, historiam animalium describenti, tam liberaliter sumptus suppeditavit. Sed majoris etiam, credo, redemisset, si nancisci, quam & qualem optabat, generalem historiam potuisset: neque dubito, si LIVIUS in Italia tunc superstes fuisset, ut ad eum audiendum olim ab extremis Gadibus quidam accurrisse dicuntur, protinus in Italiam advolasset ALPHONSUS, ut quovis precio talem historici operis architectum, & redemptorem conduceret. Si in hoc genere non præstitit, quod nunc aliquis desideraret; per illum certè non stetit. Interea ut magis, atque magis profiteretur, sese historiarum, legumque literis acceptam ferre suam bene regnandi facultatem: librum suis insignibus Regiis, suoque sceptro & Labaro jussit appingi. Neque tam aut ingrata, aut stupida, quæ tamen parum literata tunc erat, Europa fuit, quin attonita eruperit in illam veluti exclamationem, quam olim S. P. Q. R. extulit, cum de Imperatore TACITO agebatur, **QUIS MELIUS, QUAM LITERATUS IMPERAT?** Hic Imperator TACITUS, ut & literatam artem bene imperandi ex historiis repetendam esse profiteretur, eamque conservaret, edixerat, sui CORNELII TACITI Annales quotannis decies publicè exscribi debere, & in omnibus Bibliothecis adservari, atque adedò in Civicis archiis, ut ait FLAVIUS VOPISCUS. (*) An minorem suorum hujus generis studiorum significationem dabat ALPHONSUS?

Gg 4

§. XXIV.

(*) in Vita Tacit. Cap. 10.

§. XXIV.

Ergo & Germania ad Imperium, R. P. C. causa, illum ultrò accersivit. Sed ALPHONSUS Imperio tali propter literas dignus, ut erat, videri maluit, quàm illo gerendo, tuendóque occupatus distrahi abs literarum, quarum jam curam susceperat, procuratione. Cæterùm ducentis pòst annis, alter, qui septimo inter ejus nepotes gradu numeratur, ALPHONSUS, Italiae imperare non recusavit: atque ita imperavit, ut & literas se scire ostenderet, & Italia dictatorem alium nollet. Non disputo de adoptionis jure vel injuria, cujus nomine consecutus sit regnum Neapolitanum post longam, & difficilem contentionem. Sed ut ejus pater, Justus, sic ipse Docti Regis cognomen meruit; & quibus literis armatus patrimonium auxit, iisdem literis gratiam liberaliter retulit. Nam & audiebat (ne antiquiora revolvamus) CAROLUM V. Franciæ Regem meruisse cognomen Sapientis, & licet ab hostibus undique peteretur, bene, & beatè regnasse, togatum semper, armatum nunquam; librisque bonorum consiliorum auctōribus magis, quàm militibus circumfusum. Imò verò audiebat ipsum, cui centum post annos veluti succedebat, ROBERTUM Regem Neapolitanum, belli, pacisque artibus multisque virtutibus, non minùs, quàm Francicâ, vel Andegavensi familiâ nobilem, nihil habuisse antiquius studiis literarum, tantique ea fecisse, ut literas, quarum præsidio facultatem bene regnandi acceptam ferebat, regni posses

cariores
FRANCISCO
plecteretur.
benèque
multiplicasset A
signis libr
nullos se
consiliarios
ex hostium
expugnat
clarissimus)
quanti an
volumer
spolia. Nequ
nunquam caru
cum in
vellet, ut jam li
Harpal
Nullas autem
illius (cred
Hunc
expeditionum
Iliade, qu
conjectam ne
Non dissimili
Livianam se
idem tanti fe
inventar
Livianoru
vel prece
Cum
alienare re
G

possessione cariores sibi esse prædicaret, & propterea FRANCISCUM PETRARCHAM arctissime complecteretur. Ergo cum avitæ virtutis gloriam, benèque regnandi artem literatam etiam amplificasset ALPHONSUS, suis rursus clypeis, atque signis librum appinxit: ut & gloriari solebat, nullos se habere meliores, quam mortuos consiliarios (quo verbo libros significabat) & ex hostium, quos vinceret, vel civitatum, quas expugnaret (fuit enim nobilissimis victoriis clarissimus) spoliis nullam prædam tanti fecit, quanti antiquum aliquod fortè in iis inventum volumen. Hæc enim illi erant optima spolia. Neque verò talibus armis inter arma unquam caruit. Narrat PLUTARCHUS, ALEXANDRUM, cum in Asiam tam longè progressus esset, ut jam libros invenire nullos posset, mandasse *Harpalo*, sibi ex Græcia aliquos mitti. Missas autem fuisse inprimis historias PHILISTI, illius (credo) quem CICERO tantopere laudat. Hunc ergo habuit ALEXANDER suarum expeditionum comitem, non contentus HOMERI *Iliade*, quam alioqui cum suo pugione conjunctam ne dormiens quidem dimittebat. Non dissimili exemplo ALPHONSUS historiam Livianam semper habebat comitem: cujus quidem tanti fecit auctorem, ut, cum audiret, Patavii inventam esse urnam cinerum, atque ossium Livianorum, statim legatos eò miserit, qui vel prece, vel precio tales reliquias redimerent. Cum Patavini exuvias optimi sui civis abalienare nollent, saltem impetravit

unum aliquod os brachii, quod magni muneris loco illi donarunt, tanquam studiorum fautori, ut lapidea tabula etiamnum testatur. Quid non ille fecisset, ut integrum corpus Livianæ historiæ redimeret? LAURENTIUM VALLAM, qui apud talem Regem vivere, & exulare, quàm Romæ in patria esse maluit, mirificè est complexus: cùmque eum non modò Aragonicæ historiæ memoriam illustrare suis monumentis intelligeret, sed & de Persarum, & Græcorum historia differentem quotidie audiret, non quiet, donec eum ad convertendum in linguam latinam HERODOTUM etiam impelleret: cùmque in eo labore immortuus doctissimus senex opus minimè perpolitum reliquisset, tamen ALPHONSUS Italiam diutius hanc memoriâ carere noluit; & qualiscunque ea esset, tam lubenter hanc legi publicè optavit, quàm ab ipso primùm HERODOTO in frequentissimo Græciæ conventu Olympico, talem historiam cum omnium admiratione, & applausu incredibili recitatam olim fuisse audiebat. Ergo & THUCIDIDEM, quem puerum HERODOTI recitatio mirificè commoverat, ab eodem LAURENTIO Latinum fieri curavit: & eam translationem, cùm melior non daretur, tanti fecit, ut in ea edenda non recusaret imitari DEMOSTENEM, quem octies suis digitis descripsisse THUCIDIDIS libros, accepimus

§. XXV.

Denique cùm AENEAS SYLVIUS ex Germania misisset ARRIANUM de ALEXANDRI rebus gestis

gestis non tam Latinum factum, quàm ad SIGISMUNDI Imperatoris captum vix Latinè balbutientem, ALPHONSUS ne eum quidem neglexit. Ad eò nihil eorum prætermittebat, quibus hæc studia historiarum adjuvari eo sæculo posse putaret. Denique cum æger aliquando decumberet, & legendo CURTIUM, qui eam latinè scripsit historiam, quam Græcè ARRIANUS, ita se oblectasset, ut animi, & corporis languentis vires collapsas etiam recreasset, exclamavit, non esse in HIPPOCRATE, vel GALENO saniolem medicinam, suaviorémque curationem. Pluribus fortasse verbis, quàm erat necesse, dixi de ALPHONSO. Sed cum ejus recordatio plusculum me delectavit, tum verò exemplum, quod occurrebat, dignissimum esse putavi, quod nostris hodie commendarem, Principémque illum, quem ante annos centum Italia colebat viventem, & doctorum hominum chorus Mecænatem unicum habebat, judicavi satis laudari non posse, cum quidem & historiam jacentem excitavit, & eum historia non modò morbo laborantem liberaverit, sed & mortuum immortalis memoriæ consecraverit. Mirificè verò accidit, ut, quo is tempore moriens literas veluti orbas relinqueret, MATTHIAS CORVINUS adolescens ex carcere ad Regnum Pannoniæ sit evocatus propter eam virtutis indolem, propter quam ALPHONSUM Italia Regem dixerat; hincque MATTHIAS, ut ALPHONSI neptem uxorem duxerit, sic & librorum, historiarumque curam, tanquam hæres

AL-

ALPHONSI, susceperit; qualémque ex ea fructum perciperet, bene & sapienter imperando palàm ostenderit: denique ut non modò Italia, sed & altera illa pars orbis superstites ex Bizantino excidio, & veluti profugos, trístique naufragio ejectos libros bonos exciperet, atque adfervaret, Budensem aperuit bibliothecam, in qua non minus, quàm in castris, lubenter versabatur: in eaque recondidit illos librorum thesauros, qui mox editi Europam recrearunt. Vix audeo recitare, quàm superbum hujus Regis sepulcro carmen mæsta, attonitáque Italia inscripserit:

*Corvini brevis hæc urna est: quem magna
fatentur*

Facta fuisse Deum: fata fuisse hominem.

Sed quantus quantus Rex fuerit; literarum historiarumque præsidio magnitudinem suam acceptam ferre solebat. Cujus quidem Principis laude eò delector magis, quòd legum civilium memoriam veram, & castam cum historiarum studio conjungi etiam voluerit, evocatis propterea cum uxore, ALPHONSI nepte, clarissimis, qui in Neapolitano gymnasio essent, Juris interpretibus: & eo tamen judicio præditus fuerit, ut, cùm degenerem, & adulterinam ab iis allatam esse Jurisprudentiam intelligeret, hanc cum illis relegaverit atque exterminaverit. Et si in nostræ quoque ætatis Regibus, & Principibus nonnullis non dissimilia exempla laudare possim: tamen quia non
modò

modò ab assentatione, sed & ab omni suspitione assentationis abhorreo, illa nunc non prædicabo: & abs Principibus, quos tamen hisce studiis deditos imprimis esse velim, ad privatos me convertam, quos & historiæ, si ita loqui licet divinitatem magis atque magis cognoscere cupio. Neque tamen, cùm id ago, ab exemplo, quod in hanc me commemorationem induxit, erit alienum, quod nunc dicam. Nam quod ALPHONSUS Rex æger, & decumbens aliquando sensit, me admonet, ut denique profitear, eam in historiæ cognitione inesse vim consolationis, ut quisque sentire possit, in gravissimis animi morbis præsentem esse medicinam: quò magis &, si nobis vivendum sit privatis, & relictis civitatibus incolenda aliqua solitudo (quod fortasse in hac rerum, temporumque perturbatione, & depravatissimis ingratorum hominum judiciis, nunc optare magis debemus) talem semper habere velimus comitem. Et verò, aut nescio, quænam & ubi sit animi mærentis ingenua, veraque oblectatio, recreatio, consolatio; aut hæc certè est: quæ & hoc efficit, ut nihil novum nobis, quod quidem nos valde tanquam attonitos percellat, nihilque insolens occurrat: atque etiam præstet, ut sentiamus verum esse vetus illud,

*Nil admirari propè res est una, Beatum,
Quæ possit facere. &c.*

Neque non, multos, qui, quod dico, confirmabunt, & quod experti quoque sunt, adseverabunt,

rabunt, bonos testes ciere facilè possem, si hic rursus commemorare velim, quod ipsa nobis Historia commemorat. Sed si hoc faciam, rursus video longiorem hanc orationem fore. Itaque unum ex multis CICERONEM accersam, quem in hisce commentariis sæpius appella- vi, & cui nemo non fidem lubenter habue- rit. Is cùm tristissimis temporibus lugeret casum, & ruinam Reip., gravique mærore con- ficeretur, & ATTICUM, atque BRUTUM ad se ve- nientes consolationis causâ, salutasset, *Vos verò* (inquit) (*) *Attice, & præsentem me curâ levatis, & absenti magna solatia dedistis. Nam vestris primùm literis recreatus, me ad pristina studia revocavi. &c.*

§. XXVI.

Postquàm autem de literis BRUTI dixit, & rogaret BRUTUS, ecquæ præterea essent ATTICI literæ, quæ eum delectaverint. *Istæ verò* (inquit) *Brute non solum delectationem mi- hi, sed etiam salutem, ut spero, attulerunt. Sa- lutem?* exclamavit BRUTUS. *Quodnam tandem genus istud tam præclarum literarum fuit? Tum CICERO, an mihi potuit esse aut gratior ulla sa- lutatio, aut ad hoc tempus aptior, quàm Attici liber, quo me affatus quasi jacentem excitavit? Hic BRUTUS, nempe eum dicit, quo iste omnem rerum memoriam breviter, & ut mihi quidem videtur, per diligentem, complexus est. Respon- det CICERO: Istum ipsum, Brute, dico librum mi- hi*

(*) in Brut. Cap. 3.

hi saluti fuisse. Hic ATTICUS, *Optatissimum* (inquit) *mibi quidem est, quod dicis. Sed quid tandem habuit liber iste, quod tibi aut novum, aut tanto usui posset esse?* Hic MARCUS, *ille verò* (inquit) *& nova mihi quidem multa, & eam utilitatem, quam requirebam, ut explicatis ordinibus temporum, uno in conspectu omnia viderem: quem cum studiosè tractare cœpisssem, ipsa mihi tractatio literarum salutaris fuit &c.*

§. XXVII.

Hunc ego CICERONIS locum lubenter ascripsi, ex quo intelligamus, quantum vir magnus, & sapiens consolationis ex historiæ tractatione perceperit. Multum tamen abest, ut exponat, quicquid percipi præterea posset. Potuit ille fortasse Veterum, Majorumque suorum recordatione tam valde affici, ut animum abduceret, atque avocaret abs sensu præsentium malorum; aut acerbum eorum sensum utcunque leniret, & in omni varietate fortunæ sese, aliorum exemplo, sustentaret; cum quidem meminisset, quæ semper fuerit conditio bonorum virorum, quæ rerum humanarum, quæ Rerumpublicarum? Sed non vidit in historia, quod firmiorem consolationem attulisset: videri verò à profanis hominibus non potest. Agè verò, quia trium illorum doctissimorum, sapientissimorumque virorum colloquium in hoc genere nos oblectavit, quartus non intempestivè accedat, eorum æqualis, & (ut nobis gratior etiam sit) Jurisconsultus magnus. Is est SERVIUS Sulpitius: qui cum nihil non face-

faceret, ut & CICERONEM, qui filiaē deflebat mortem, & seipsum, qui interitum Reip. lugebat, consolaretur, ita scripsit ad CICERONEM: (*) *Quæ res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare, si fortè eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens, cum ab Aegina Megaram versùs navigarem, cæpi regiones circum circà prospicere. Post me erat Aegina, ante Megara, dextrà Piræus, sinistra Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata, & diruta ante oculos jacent. Cæpi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrum interit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cum uno loco tot oppidum cadavera projecta jaceant? visne tu te, Servi, cohibere, & meminisse, hominem te esse natum? Crede mihi, cogitatione eâ non mediocriter sum confirmatus. &c.*

§. XXVIII.

Si una illa navigatio brevis ostentans ruinas & parietinas aliquot oppidorum Græciæ, SERVIUM nostrum admonuit, quàm sint caducæ, & instabiles res humanæ: eique sapientissimam objecit cogitationem, quâ, suum & Reip. casum æquiùs ferat: quid universa historia, cum nos vehet, atque circumferet per totum terrarum orbem, nobisque spectandas dabit omnibus sæculis perpetuas illius conversiones, tot tamque multiplices Rerumpubl. everfio-

(*) Lib. IV. fam. Epist. 5.

everfiones, tot regnorum interitus, tot popu-
 lorum strages, tot urbium vastitatem: & in
 tanta tamen fortunæ varietate, totque casibus,
 quorundam virorum agitatum magis, quàm
 labefactatam constantiam: quid (inquam) illa
 quantumque consolationis adferre nobis pot-
 est? Jam verò si (quod caput est) accedat re-
 ligiofa confideratio divinæ providentiæ, cujus
 memoria nunquam abesse ab historia debet;
 quæ tandem arumnæ nostræ tantæ esse pos-
 ſunt, quarum acerbum ſenſum illa non le-
 niat, cum earum cauſam, atque finem oſten-
 det? Quid alii ſentiant, nescio. Sed quod
 ſum expertus, affirmare poſſum, cum jam in-
 de abs pueritia me multi acerbi caſus jaçtave-
 rint, atque vexaverint, unum inter tot fluctus
 portum, in quo acquieſcerem, fuiſſe hiftoriam,
 mihi que planè aliter, quàm PLUTARCHO acci-
 diſſe. Scribit PLUTARCHUS, ſeſe primùm ſuſce-
 piſſe ſcribendas illuſtrium virorum vitas, ut
 aliis prodeſſet: ſed ſe deinde in eo opere pro-
 fuiſſe ſibi ipſi, & ex eo fructum honeſtiſſimæ
 recreationis privatim percepſſe. Ego verò
 profiteor, me meâ privatim cauſâ primùm ac-
 ceſſiſſe ad aliquam hiftoriarum lectionem: ſed
 in ea ſtatim tantum liberalis utilitatis agnoviſ-
 ſe, ut aliis fieri communem valde optaverim.
 Sæpe jam sæpe in iſta & ingratorum, & per-
 fidioſorum, & improborum hominum collu-
 vione, quæ latè graſſatur, & Rempublicam in-
 voluit, & omnes propè vias obſidet, & novam,
 ex qua quæſtum faciunt, artem calumniandi,

maledicendi, turbarumque ciendarum, religionis etiam nomine tegere audet, cum nulum fanis consiliis relictum esse locum videmus, cogitamus in solas terras, ubi (quod ille olim dicebat) non audiamus facta Pelopidarum: vel aliquem desideramus secessum, in quo cum liberos gemitus effundere, tum verò aliquid consolationis percipere, & horum malorum oblivisci possimus. Sed historia mihi visa est, quod quæritur, offerre. Cùmque tali nuper comite uterer ex Germania veniens in Galliam, toto illo itinere me multas regiones circumspicientem, multaque de rebus humanis cogitantem in ista nostri orbis confusione mirabiliter consolata est. Neque minùs mihi adfuit, cum deinde præter omnem expectationem fortè adhibitus essem ad quasdam de Republica, & religione gravissimas deliberationes. Sed ad has illam omnino pertinere omnes fatentur: & qui in iis sæpius versantur, si modò adferunt ad eas, quod debent, sæpius experiuntur, verissimum esse, quod ARISTOTELES (*) scripsit, *ἰστορίας χρησίμους εἶναι πρὸς τὰς πολιτικάς συμβουλὰς.* (**) Verùm si quis est veteri memoriâ, qui reipsa ostenderit, non temerè dictum id esse ab ARISTOTELE, is est CICERO. Dixit aliquando: (***) *Exempla ex vetere memoria & monumentis, & literis, plena dignitatis, plena anti-*
quitatis,

(*) *Lib. I. Rhet.*

(**) *Historias utiles esse ad civiles conjunctiones.*

(***) *Verr. III. Cap. 89.*

quitatis, plurimum solent & auctoritatis habere ad probandum, & jucunditatis ad audiendum. Sed quàm aptè iis ipse usus sit, sive de priuata, sive de publica re ageretur, lubenter audio. Neque suorum modò Romanorum, Majorumque exemplis, tanquam præjudiciis passim uti solet, sed & aliorum populorum. Quid locos, qui innumerabiles sunt, nunc indicarem? Totus CICERO describendus, & huic libro assuendus esset. Sed ut unum ex multis locum-delibem: iuvat illud exemplum notare, quo usus est sapientissimè in re magna, & summo alioqui Reipublicæ periculo: & quod hâc ætate tam nobis in mentem veniret, vellem, quàm Veteribus sæpe venit. Nam etsi hunc solum historiæ fructum perciperemus, uberrius tamen is esset. Biduo post occisum CÆSAREM, cùm percussores in Capitolio veluti inclusi essent, & summa esset rerum perturbatio, M. ANTONIUS Consul Senatum vocat in Telluris. Adest & CICERO, rogatusque, ut de Republica sententiam dicat, vetus exemplum τῆς ἀμνηστίας (*) ex historia Græcorum repetit, & consulit, ut fiat, quod ante annos plusquàm trecentos & quinquaginta Athenis factum erat, cùm *Thrasylbulus* XX. tyrannos expulisset: prædicatque hoc deinde suum rursus consilium in Senatu. *In templo (inquit) (**)* Telluris, quantum in me fuit, jeci fundamenta pacis, Atheniensiumque renovavi vetus exemplum: Græcum
 H h 2 etiam

(*) Amnestiæ.

(**) *Philipp. I. Cap. 1.*

etiam verbum usurpavi, quo tum in sedandis discordiis erat usa civitas illa: atque omnem memoriam discordiarum, oblivione sempiterna delendam censui. &c. Verbum illud, atque etiam vetus erat hæc conjuratio, *μη μνησικακείν*, (*) qua sæpius usi sunt Athenienses Republicæ constituendæ & pacis componendæ causâ. Sed quàm sapienter CICERO Romanis suis tale consilium dabat? Ipsum quoque CLAUDIUM Imperatorem, occiso C. CALIGULA, cum primum rerum potiretur, laudasse, atque imitatum esse tale Atheniensium exemplum, testis est DIO: & ante Athenienses, optimam esse hanc conciliationis conditionem, *Albanus* orator in gravissima pacis ineundæ deliberatione coram TULLO Rege Romano dixerat, ut DIONYSIUS libro III. refert, qui & istud verbum *μη μνησικακείν* (**) usurpat. Quid dicam præterea de historiarum vel usu, vel utilitate? Vix ulla deliberationis ullius tanta difficultas incidere potest, quin repente ad eam expediendam optimum consilium illæ suggerant.

§. XXIX.

Sed (nondum enim hæc prædicatione fatiari possum) non modò, quod POLYBIUS desiderat, desidero historiam esse *πραγματικὴν*: (***) sed ut nostri dicere solent, Jurisprudentiam non solùm *θεωρητικὴν*, (****) sed
etiam

(*) Non recordari injuriæ.

(**) Non recordari injuriæ.

(***) Pragmaticam.

(****) Speculativam.

etiam *πρακτικὴν* (*) esse, esseque debere: sic ego historiam. Neque non poterit talis esse, si bene perlegatur tota. Nam & ipsa sæpe indicat, quomodo, quove fini posteritas, ubi res postulabat, usa sit exemplis, memoriâ, auctoritate antiquitatis. Sicque historiæ, quodammodo ut leges, legendæ sunt, hoc est, ut priores ad posteriores, & rursus posteriores ad priores aptâ quâdam collatione trahantur. Neque solum vbi posterior priorem laudat, id in lectione quoque prioris observare debemus, sed & *παράλληλα* (**) (ut PLUTARCHI verbo utar) conferenda sunt. Saltem quod superiori sæculo quidam Florentinus in Livianæ historiæ parte utiliter facere in rem suam, suorumque Italorum conatus est; multò id magis faciendum esse in historia universa, præsertim ubi & res digna est, & non inepta occurrit comparatio: denique ex hypothesi historica sæpe colligenda est politica veluti thesis. Ut jam de CICERONE & nostris Jurisconsultis non loquar, qui id sapientissimè faciunt: Ipse ARISTOTELES in suis Politicis quàm rectè id agit, etsi in Græcorum historia, quæ angusta est, hæreat? Ubi tales adsunt monitores, ibi demum agitur, quod debet.

§. XXX.

Ut autem prioris memoriam sæpe refri-
cat historia posterior: sic & prior non rarò

H h 3

qui-

(*) Practicam.

(**) Parallela.

quibusdam tanquam vaticiniis adumbrat futuram consecutionem posterioris, & veluti prædicendo commovet expectationem. Ac in sacra quidem historia non solùm multæ, tanquam fatales regulæ ex Decretis divinis repetitæ, in universum traduntur de iis, quæ consecutura sunt: sed & certa, & aperta, & definita oracula interdum eduntur, quæ apertè præmonent, & tanquam digito præmonstrant futuros eventus: & aliquando ipsis etiam annis priùs, numeratis, articulum temporis indicant. Sic in JEREMIÆ, EZECHIELIS, DANIELIS, & talium Prophetarum vaticiniis, audiemus liquidò multa prædici futura, quæ postea legemus eodem planè modo accidisse. Quid de Sibillinis, & aliis, quæ ipsi etiam Ethnici jactarunt, oraculis dicam? Etiam ubi postea fictas esse prædictiones scimus, tamen earum nos lectio delectat, ut cùm apud CICERONEM, *Somnium Scipionis*, vel apud VIRGILIUM, *orationem Anchisæ* legimus de futura Romana Republica. Multò nos igitur magis movebunt prædictiones de conversione, & periodo Imperiorum, & magnarum urbium excidio, cùm & eas ipso eventu confirmatas, & multò tamen antè editas esse legimus. VARRO narrare solebat (ut CENSORINUS refert) se audivisse *Vectium* quendam Augurem, prædicentem, quia Imperium Romanum duraverat annis CXX. duraturum MCC. annis: quod se augurari dicebat ex XII. vulturibus ROMULI: quasi illi significassent aut duodecies decem,

aut

duodecies centum
 quendam
 post c
 metropolitanæ,
 annis 696. I
 Constantinop
 scenis, verfa
 audit prædic
 factum nar
 dam accideru
 xxi d'opis in
 dico (qui huju
 fructus est)
 videntiam que
 riarum observ
 rum rerum
 quendam
 velle: sicuti &
 monet: ubi
 quod CICERO
 velle, ut non se
 Republicæ t
 publica inclinati
 rum, quibus
 res postulare
 quam uxoribus
 velle: Qui be
 istud verum
 est, bene co
 I
 vaticinatem.

aut duodecies centum. Sed & ZONARAS recitat, *Valentem* quendam Astronomum tempore CONSTANTINI, post celebratum natalem urbis Constantinopolitanæ, prædixisse eam veluti victuram annis 696. Historia certè, cùm Romæ, & Constantinopoli, quasi in duabus suis præcipuis scenis, versatur, non potest non mirari, cùm audit prædictum de iis ita esse, quod ipsa postea factum narrat. Sed & ubi de iis, quæ nondum acciderunt, quæritur, neque alioqui certi καὶ ἀφοριστικοὶ (*) indices prælucent: tamen dico (qui hujus lectionis maximus ex prudentia fructus est) aliquam saltem obscuram providentiam quodammodo divinatricem ex historiæ observatione sumi: atque ex præteritarum rerum memoria, præsentiumque statu quandam de futuris conjecturam colligi posse: sicuti & POLYBIUS sapientissimus scriptor monet: ubi & illud quodammodo præstat, quod CICERO indicat THEOPHRASTUM antea fecisse, ut non solum scriberet, qui esset optimus Reipublicæ status: sed & quæ essent in Reipublica inclinationes rerum, & momenta temporum, quibus esset moderandum, utcunque res postularet. Laudent alii suam astrologiam μαντικὴν: (***) ego ut illud vetus sæpe audio: Qui bene conjicit, bonus vates est: sic & istud verum esse puto. Qui bonus historicus est, bene conjicit. Sed qualiacun-

Hh 4

que

(*) Definitivi.

(**) Vaticinantem.

que de rebus humanis veluti προγνώσιμα (*) hinc colligi possint, ea ego τεκμήρια (**) in Reipublicæ gubernatione non minoris aliquando fecero, quàm medici sua κριτήρια (***) in morborum curatione, vel in navigatione sapientes nautæ sua futurarum tempestatum signa, & præfagia. Nihil dicitur esse incertius exitu bellorum; ARISTOTELES tamen libro 1. *Rhetoricor.* monet, in deliberatione de bello in primis advocandam, audiendamque esse historiam, ut ex ea intelligamus, quid in re simili antea acciderit. Cur ita? ἀπὸ γὰρ (inquit) τῶν ὁμοίων τὰ ὅμοια γίνεσθαι πέφυκεν. (****) Ego & si totam divinationem fatear rem esse lubricam: tamen quod CICERO (*****) dixit inesse animis humanis non solum memoriam rerum innumerabilium, sed & conjecturam consequentium, non multum à divinatione differentem: id de iis, qui perpetuæ historiæ observatione, tanquam longo rerum omnium usu vim sui iudicii habent exercitatum, dici multò magis posse videtur. Ac quidem cum THEMISTOCLEM ea facultate præditum esse THUCYDIDES scripssisset, CICERO (*****) locum diligenter notavit, & THUCYDIDIS verba suis ad *Atticum* literis inclusit: τῶν μελλόντων ἐπὶ πλείστον

(*) Prognostica.

(**) Signa certa.

(***) Criteria.

(****) Nam ex similibus similia oriri solent.

(*****) *Tusc. Lib. I. Cap. 24.*

(*****) *Lib. X. Epist. 8.*

πλείστον ἐκ τῆ γεννησαμένου ἀριστος ἐκαστης. (*)
 Non dissimile est, quod PLINIUS, laudans *Fu-*
nium Mauricum, ait virum esse, qui futura
 possit ex præteritis providere. Quid ipse
 CICERO? Sæpe suam in hoc genere providen-
 tiam hinc repetitam jactat. Certè fretus quo-
 dam augurio, non sui (ut ait) collegii, sed po-
 litico potiùs, & Platonico de Tyrannis præju-
 dicio, multis eventibus confirmato, audet omni
 adseveratione adfirmare, regnum CÆSARIS VIX
 posse esse semestrem: & licet de conjuratione
 nihil inaudiisset, tamen certò id se prædicere
 jactat. *Nec nos* (inquit) *fallet, nec aliter acci-*
det. Sed & exitum belli civilis quàm procul
 providit? *Præclarâ* (inquit) (***) *conscientiâ su-*
stentor, eâ ipsâ tempestate everSAM esse Rempubli-
cam, quam ego XIV. annis antè prospexeram.
 Et libro VIII. ad Atticum (***) de eodem illo
 bello loquens, *προδεισπιζω* (****) (inquit)
noster Attice, non aviolans, ut illa, cui nemo cre-
didit, sed conjectura prospiciens, jamque mari
magno. Non multò (inquam) *secus possum va-*
ticipari. Denique ad Cæcinnam (*****) scribit,
 sese divinationem quandam, quæ minimè fal-
 leret, consecutum esse, cum sapientissimorum
 virorum monumentis, atque præceptis, pluri-

Hh 5

mó-

(*) Futura ut plurimum ex præteritis quis opti-
 me conjectatur.

(**) *cit. Lib. X. Epist. 4.*

(***) *Epist. II.*

(****) *Vaticinor.*

(*****) *Lib. VI. famil. Epist. 6.*

móque doctrinæ studio, tum magno etiam usu tractandæ Reipublicæ, magnaque suorum temporum varietate. Itaque se, etsi Augur publicus esset, tamen non ex alitis involatu, nec è cantu sinistro, Oscinis, nec è tripundiis solistimis, aut somniis augurari: sed se habere alia signa, quæ observet, quæque minus habeant vel obscuritatis, vel erroris: eaque maximè è temporum civilium naturâ, atque ratione. Itaque jam minùs miror, quòd post Cæsaris mortem, nascente novo bello civili, BRUTUM cesantem monens, quid statim factò esset opus, exclamat, (*) *Opprimemini, miki crede, nisi provideveritis. Hæc ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta.* Nihil potest esse verius. Sed miror, & doleo, tam sapientem senem non vidisse, quod de OCTAVIO Brutus vicissim præmonebat. De JULIO CÆSARE, ex historia ALEXANDRI, quàm cautus erat Vates? Nam ad Atticum, (**) *nónne (inquit) vides ipsum illum Aristotelis discipulum, summo ingenio, summâ modestiâ, posteaquam Rex appellatus sit, superbum, crudelem, immoderatum fuisse?* Sed cum Brutus de OCTAVIO idem prædiceret, quodam, ut fit, Antonii odio CICERO caligabat. Cornelius Sulla præfagiendo dicere solebat de adolescente C. JULIO CÆSARE, *Cavete à puero malè præcincto; in eo enim multi Marii latent.* CICERO non inane fuisse præfagium vidit: & quàm sit insidiosa, & fallax facies homi-

(*) *Epist. 2. ad Brut.*

(**) *Lib. XIII. Epist. 28.*

hominum, cùm ex philosophia, tum ex historia, & experientia didicerat. Sed de OCTAVIO sibi persuadere, quod nolebat, vix poterat. Neque tamen periculum, quod ab *Antonio* imminebat, multò antè non prospexit: sed ne propterea terreretur, exemplis ex historia repetitis animum suum obfirmabat. Itaque & *Antonium* ipsum alloquens, *acerbissimum* (inquit) (*) *avi tui diem supremum malim, quàm L. Cinnae dominatum, à quo ille crudelissimè est interfectus.*

§. XXXI.

Idem CICERO, cùm ferveret bellum civile inter CÆSAREM & POMPEJUM, deliberans cum suo *Attico*, quid sibi factò esset opus, in utramque partem consilium ex illa historia petit. *Si restitero* (inquit) (**) *idem fecero, quod in Cinnae dominatione Philippus, quod L. Flaccus, quod Q. Mucius, quoquo modo ea res huic quidem cecidit, qui tamen ita dicere solebat, se, id fore, videre, quod factum est: sed hoc malle, quàm armatum ad patriæ mœnia accedere. Aliiter Thrasymbulus, & fortasse melius. Sed est certa quaedam illa Mucii ratio, atque sententia, &c.* Quid? tandem etiam dixit, optare se aliquem exitum Mucianum; eúmque sibi impendere prospexit: ut jam se THEMISTOCLI possit antepone, quem ait multa non providentem incidisse in eos casus, quos vitasset, si nihil eum

fefel-

(*) *Philip. I.*(**) *Ad Albic. Lib. VIII. Epist. 3.*

fefellisset: sicuti & suos propterea Romanos notat: *Non fuisset* (inquit) (*) *illa nox tam acerba Africano, sapientissimo viro, non tam dirus ille dies Sullanus callidissimo viro C. Mario, si nihil utrumque eorum fefellisset, &c.* Cur ergo CICERO, quem nihil fallebat, sibi non cavit magis? Exemplo Muciano confirmatus, gloriosè cadere maluit, quàm malè cedere. Verùm etsi fieri non possit, quin prudentissimum quemque multa fallant, præsertim cùm de futuris agitur; tamen non est propterea nulla prudentia. Idem CICERO *in libris officiorum*, num (inquit) *propterea nulla est Republicæ regendæ ratio, atque prudentia, quia multa Cn. Pompejum fefellerunt?* Ergo etsi illa, quam ex historiarum, & exemplorum similium memoriâ repertî posse dico, divinatio interdum fallax sit, tamen CICERO vir sapientissimus summam in eâ prudentiam esse agnoscit. Mirifica verò est, quamcunque ille se in partem det, ratio, atque ratiocinatio hujus viri, in aliqua deliberatione historiam versantis, & ex recordatione rerum præteritarum, varias futurarum conjecturas ducentis. Sed jam sentio me ipsum cum eo variè jactari, & confusè veluti volutari, cùm ab ejus viri, in quo potissimum eluxit prudentia, quanta colligi ex historiis, & rerum usu potest, recordatione, & conspectu abducî vix possum. Adderem illud optimi auctoris *Rhetoricorum ad Hevernium*: (***) *Reverum* (in-

(*) *Ad Attic. Lib. X. Epist. 8.*

(**) *Lib. IV. Cap. 9.*

imperii, qui ut
exempla petere
facile deducuntur
quid aliis acci
suis rationibus poss
re præsentî ipsa hi
Nunc illud dico:
idem esse posse,
obis multò antè id
que stultorum
sed serò, nos docet
accidat, dicere sa
apud Poetam
pendet:

No

ergo, mea mî facies,
in præcipi, atque ami

§. XX.

hoc sive præsumpti
hi, ut, quæ deinde
copiosè disputa
arum. Sed aut ego
in eam res magis si
monio, sive præ
mi potest, ne qu
quos opprimat.

ex eodem libro
est illa præstans, &
quibus & pertracta

Lib. VI. v. 103.

14.

(inquit) imperiti, qui uniuscuiusque rei de rebus antè gestis exempla petere non possunt, per imprudentiam facilè deducuntur in fraudem. At ii, qui sciunt, quid aliis acciderit, facilè ex aliorum eventu suis rationibus possunt providere. Verùm id in re præsentis ipsa historia liquidius ostendet. Nunc illud dico: nullam historiæ majorem laudem esse posse, quàm cum agnoscitur, nobis multò antè id præstare, quod experientia, quæ stultorum magistra esse dicitur, post, sed serò, nos docet: cùmque efficit, ut quicquid accidat, dicere sapientes homines possint, quod apud Poetam (*) ille Trojanus Sibillæ respondet:

*Non ulla laborum,
O virgo, nova mihi facies, inopinave surgit.
Omnia præcepi, atque animo mecum antè peregi.*

§. XXXII.

De hac sive præsumptione, sive præceptione, quâ fit, ut, quæ deinde acerba accident, sint leviora, copiosè disputat CICERO *Lib. III. Tusculanarum*. Sed aut ego vehementer fallor, aut nulla eam res magis suggeret, quàm illa sive præmonitio, sive præmunitio, quæ ex historiis sumi potest, ne quid nos inopinantes, atque supinos opprimat. Itaque huc referre non dubitabo *ex eodem libro (**)* illud CICERONIS: *Hæc est illa præstans, & divina sapientia, perceptas, penitus & pertractatas humanas res habere:*

(*) *Aeneid. Lib. VI. v. 103.*

(**) *Cap. 14.*

bere: nihil admirari, cùm acciderit: nihil, antequàm evenerit, non evenire posse arbitrari.

§. XXXIII.

O nunquam laudata satis, sed nondum fortasse satis omnibus cognita vis & potestas historiæ: quia & multò plus habeat in recessu quàm fronte promittat. Sed ejus majestatem indignè, miserèque minuerunt, qui de eâ nondum perspectâ satis, temerè verba fecerunt: qui eam conciderunt, atque discerpserunt: qui fabulis aspersis contaminarunt: qui ex sola superficie, quam solam obiter delibarent, æstimari rem totam voluerunt: denique qui in ea legenda neque artem, neque intelligentiam, neque observationem necessariam adhibuerunt. Quid multis? PLINIUS in quadam ad suum Paternum epistola exclamat, sese frequenter sensitisse, quanta potestas, quanta dignitas, quanta majestas, quantum denique Numen sit Historiæ. Sed quantumcunque sit illud, quod sensit: procul abfuit, ut quicquid est, sentiret. Liceat hoc mihi, bonâ ejus gratiâ, dicere, in quo nullam alioqui illius culpam accuso. Ut verò, quod hac oratione in primis urgere institueram, concludam, iterum iterùmque dico, consilii, prudentiæ, sapientiæ, judicii recti institutionem ex una veluti academia Historiæ repeti posse & debere. Dixi paulo antè, qualem olim instituerit THEMISTOCLIS præceptor. Dixi quid in THEMISTOCLE potissimum admiratus sit CICERO. Nunc illud addo, non temerè eodem loco à CICE-

RONE

simul laudari,
de eodem viro
di' διαξινης βο
τι τι αυτων, η
μαδισα. (**)
in magno Reipul
est necessarium.
addisci in histo

§. XX

sed jam vereor, n
an harum literarum
deliberium nostrum
tam, quàm injici
rationis, quæ nostr
doctrinam. Na
dicere, rem hanc, c
minam: & licet di
di' αυτων: (***)
ne id confirmandu
nos detertere pot
est: si quis
andem vel sæcula
medas, vel Lultra,
tina, quæ ab orbe
ultram perducend

Lib. I.

nam, quæ in præsen
minima deliberatio
quid melius, aut p
medebat maximè.
impossibile.

RONE simul laudari, quod THUCYDIDES (*) simul de eodem viro scripsit: τῶν τε παραχρημα δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων· καὶ τὸ τε ἀμεινον, ἢ χεῖρον ἐν τῷ ἀφανεῖ ἔστι προεώρα μάλιστα. (**). Hoc verò illud est, quod in magno Reipublicæ gubernatore imprimis est necessarium. Nunc si dicam, hoc demum addisci in historiæ schola posse, num mentiar?

§. XXXIV.

Sed jam vereor, ne quæ hæctenus dixi, non tam harum literarum admirationem cieant, quæ desiderium nostrum inflammet, acuâtque industriam, quàm injiciat materiam alicujus desperationis, quæ nostrorum studiorum infringat alacritatem. Nam & si antea conatus sim indicare, rem hanc, quantacunque sit, non esse infinitam: & licet difficilis, atque ardua sit, non esse ἀδύνατον: (***) tamen iterùmque iterùmque id confirmandum est. Et quia imprimis nos deterrere potest, quod de universitate dictum est: si quis jam me roget, equot tandem vel sæcula vel Jobilæos, vel Olympiadas, vel Lustra, vel annos contineat illa historia, quæ ab orbe condito ad ætatem usque nostram perducenda est: possem duobus

(*) *Histor. Lib. I.*

(**) Eorum, quæ in præsentia, & ex templo agenda sunt, minima deliberatione cognitor peritissimus; &, quid melius, aut pejus in re obscura esset, providebat maximè.

(***) *Impossibile.*

bus verbis dicere, quinquaginta quinque sæcula interesse.

§. XXXV.

Verum ut id diligentius exponamus, est operæ pretium. Principiò constat, fatuam fuisse quorundam Philosophorum fabulam, qui, quoniam ignorarent, quando conditus hic mundus fuerit, conditum nunquam fuisse, sed esse æternum, finxerunt. Constat deinde, & eos audiendos non esse, qui fabulati sunt, quod fortè somniarant, innumerabiles esse mundos: & simul repudiandam esse ipsius quoque ORIGENIS ridiculam opinionem, existimantis alium, ante hunc, fuisse mundum, & post hunc fore alterum, & talem in infinitum successionem fingentis. PLINIUS cùm audiret, quosdam tradere, innumerabiles esse mundos, & hujus generis portenta comminisci, exclamat, furor est, profectò furor. Sed nos in eandem exclamationem erumpere quoque debemus, cùm ille tradit, mundum esse æternum, neque genitum, neque interiturum. Nostra verò nunc prima sit quæstio, quando is conditus sit & cœperit, quòtque ab eo condito ad hunc, quem nunc agimus, annum, anni numerandi sint. Nam hoc imprimis constituendum est, cùm in historiam universam ingredi statuimus, quam finitam esse profitemur. In hac autem quæstione definiendâ aliquid esse dissensionis, equis mirabitur, cùm ne Romani quidem ipsi de annis Urbis conditæ planè consentire olim potuerint? Veteres, qui MOSEN non legerant,

cùm

principium igno
roto (quod dicitu
vero fuit Aeg
aro in Tmæo nar
non modo sese de
alios homines fui
ltharum config
qui suspicatus
ille putidam vide
de: quasi cùm a
num, aut tres n
quidem eos inter
ra de Aegyptiis ea
inquinatis portenta,
neque non possit.
nodam dixisse, at
millia numerat
comprehendit
es potius, quàm r
to primo homin
compleantur.
quoniam quinque mil
arithmeticus ille Ap
ter THROPHILUS
scriptor antiqu
usquam quindec
condito. Nih
etiam millia m
etur: nam suo fe
micat in tenebris

Civium Dei Lib. XVII

cùm principium ignorarent, non potuerunt non toto (quod dicitur) cœlo aberrare. Impudens verò fuit Aegyptiorum vanitas, qui, ut PLATO in *Timæo* narrat, fingebant, jactabantque, non modò sese decem millibus annorum ante alios homines fuisse, sed & tot sæculorum historiarum consignatam habere. DIODORUS, qui suspicatus est, fabulam hanc, ut est, posse putidam videri, videtur excusare illos velle; quasi cùm annum unum dicunt, duos tantùm, aut tres menses dicerent. Sed ne hac quidem eos interpretatione defenderit: & intereà de Aegyptiis ea commemorat eminentiæ antiquitatis portenta, quæ planè fabulosa esse, negare non possit. AUGUSTINUS (*) scribit, quosdam dixisse, ampliùs quàm centum annorum millia numerari, ex quo rationem siderum comprehendit Aegyptus. Ait, illos ridendos potiùs, quàm refellendos esse, cùm (inquit) ab primo homine nondum sex millia annorum compleantur. Dicere potiùs debuerat, nondum quinquæ millia. Mirabilis verò fuit Arithmeticus ille Apollonius Aegyptius, quem noster THEOPHILUS ANTIOCHENUS, inter Christianos scriptor antiquissimus, recitat, numerasse plusquam quindecim myriades annorum ab orbe condito. Nihil dico de PLATONE, qui multa etiam millia myriadum cumulare velle videtur: nam suo fortasse more ludit, & digitis micat in tenebris. Mitto Babylo-

nios,

(*) de *Civitate Dei* Lib. XVIII. Cap. 4.

nios, quos habuisse monumentis suis comprehensa quadraginta, & septuaginta millia annorum multi olim jactabant, ut ipse quoque CICERO (*) narrat. Bene habet. Idem ait, eos, qui hoc dicant, fallere, & mentiri; nec reliquorum sæculorum judicium, quod de ipsis futurum sit, pertimescere. Ut autem minùs Aegyptiis, tam impudenter mentientibus, ignoscam, facit illa, quâ utebantur, Judæorum vicinorum consuetudo, atque familiaritas: ex quorum & sermone & libris facilè, poterant principum orbis conditi cognoscere. Suavis verò in hac antiquitatis contentione fuit Arcadum victoria, hoc est, plusquàm lunatica insania, qui se esse profelenos, hoc est, ante Lunam natos, gloria- bantur. Narrat hoc CICERO in *Fundaniã oratione*: & eo verbo illos ornat. Sed quid bonus hic CICERO, qui minimè vanus scriptor fuit, vel sensit, vel prodidit de quæstione, in qua versamur? Sanè apud eum (**). SCIPIO AFRICANUS, loquens de anno magno, hujus (inquit) nondum vicesimam partem scito esse conversam. Sed quàm multa putavit in eo anno esse sæcula? Vix (inquit) dicere audeo. Cautè profectò, & timidè, & pudenter. Nam & longam, & controversam ea de re fuisse quæstionem, alibi fatetur: (***) & alio loco simpliciter ait, multa annorum esse millia.

§. XXXVI.

(*) *Lib. I. de Divinat. Cap. 19.*(**) *Lib. VI. de Rep.*(***) *Lib. II. de Finib.*

Verum si assensu
transitus significat
millie, atque æstir
gentis quinquagi
in hoc ex HORTI
et SEXTUS: TACI
dem locum, pro n
cedola sit scriptu
quam) ea anni
nost, intelligi ut
eius opinio de ar
ni est aliorum nit
moorum nimis pe
det, qui orbis n
vobis suæ, initium
na pars illius anni
vices sexcentos, &
jurat, hos error
in quidem hominur
um libros non leg
conium, obiter not
qui & Mosis, & E
lege legerunt? N
cavere: quia eas
consequuntur, Gr
con jungerent.
que ad Perficam mo
Sed deinde ma
est, qui annos sal

§. XXXVI.

Verùm si assensus est iis, quos apud eum HORTENSIVS significat, magnum hunc annum definiisse, atque æstimasse duodecim millibus nongentis quinquaginta quatuor annis: sic enim hunc ex HORTENSIO CICERONIS locum, recitat SERVIUS: TACITUS (*) autem, recitans eundem locum, pro nongentis habet DCCC. nisi mendosa sit scriptura: sed parum interest: Si (inquam) ea anni magni definitio placuit CICERONI, intelligi utcunque posset, ecquæ fuisset ejus opinio de annis orbis conditi. Cæterùm ut est aliorum nimis liberalis, & effusa, sic Romanorum nimis parca, & restricta ratio tunc esset, qui orbis non multò antiquius, quàm urbis suæ, initium esse fingerent. Nam vicésima pars illius anni magni, non nisi annos circiter sexcentos, & quinquaginta contineret. Juvat, hos errores Veterum, doctissimorum quidem hominum, sed quia Mosáicos Originum libros non legerant, in hoc genere hallucinantium, obiter notare. Quid verò ipsi Judæi, qui & Mosis, & Prophetarum monumenta sæpe legerunt? Ne ii quidem potuerunt satis cavere: quia eas, quæ Prophetarum tempora consequuntur, Græcas, Latinásque historias non conjungerent. Annos ab orbe condito usque ad Persicam monarchiam rectè numerarunt. Sed deinde magnus in eorum calculo error est, qui annos saltem ducentos præ-

(*) de Orat. Cap. 16.

terit. Ita est profectò. Græci, & Latini Judaïcis monumentis destituti, Judæi contra Græcis, Latinisque literis non adjuti, vitiosas mendosasque chronologias ediderunt. Quid igitur Christiani, qui posteriores quidem fuerunt, sed utriusque generis libros conferre, & aliorum erroribus erudiri potuerunt? Certè à Christi ætate nihil est aut difficultatis, aut dissensionis: sed est plurimum in priorum temporum ratione ineunda, subducendaque. Legebant illi quidem & sacras, & profanas historias, prioresque, & posteriores conjungebant. Sed inciderunt in MOSEN, partim ab interpretibus malè versum, partim à librariis corruptum: & ubi MOSES mille annos scripserat, annorum duo millia plerique legebant, qui deinde error aliis (ut fit) erroribus auctus, atque cumlatus est, & in ipsius quoque IOSEPHI libros Græcos irrepsit. Sic itaque Judæis anni ducenti defuerunt; Christianis mille superfuerunt. Sed nulline olim inter Christianos, animadverterent, quàm valde in hoc genere fallerentur? Sanè HIERONYMUS, qui omnium & linguarum, & historiarum peritissimus fuit, id aliquo modo animadvertit, cum & Hebraicorum voluminum fontes excuteret, & alios annales diligenter expenderet: tandèmq; sensit, annos ab orbe condito usque ad CHRISTUM numerandos tantùm esse ter mille nongentos quinquaginta duos, ubi EUSEBIUS numerabat plusquàm quinquies mille, & ducentos. Sed ante HIERONYMUM THEOPHILUS, si in eo, quod ut-

cunque

deprehendera
 mudo collegerat,
 gentos septuaginta
 HIERONYMI calculu
 & neuter procul a
 eadem statuimus
 & Chronolog
 mibus Annalibu
 rationibus in c
 profectò deder
 quod queritur, at
 tibus reciderunt, e
 desyretu medium e
 HIERONYMI suppi
 hoc est, annos, à
 CHRISTUM, nume
 & sexaginta duos.
 tibus adjici. Sed
 est vetus, & vulg
 Denique ben
 reductam, ut jar
 orbis initio, usq
 milleimum quing
 man, rectè nume
 quingentis supr
 ra universa ne din
 anni magni;
 tum ejus partem c
 tate nunc acquiesc
 Geometria loqu
 I i 3
 vicinissimè.

cunque deprehenderat, perstitisset, non ineptè aliquando collegerat, numerari circiter mille nongentos septuaginta quatuor. Inter hujus, & HIERONYMI calculum, non multum interest, & neuter procul abest a vero. Quid igitur tandem statuimus? Doctissimi hac ætate homines, & Chronologi diligentissimi, non solum omnibus Annalibus, sed & mathematicis demonstrationibus in consilium adhibitis, maximam profectò dederunt operam, ut proximè, quod quæritur, attingerent. Eò autem frequentiùs reciderunt, ut omnibus rationibus subductis, veluti medium quippiam inter THEOMILI, & HIERONYMI supputationem, sequerentur: hoc est, annos, ab orbe condito usque ad CHRISTUM, numerarent ter mille nongentos sexaginta duos. Scio, abs nonnullis paulò plures adjici. Sed parum interest: notumque est vetus, & vulgatum illud, & quod excurrit. Denique bene habet, eò tandem rem esse perductam, ut jam certò statuere possimus ab orbis initio, usque ad hunc CHRISTI annum millesimum quingentesimum sexagesimum primum, rectè numerari annos non multò plures quingentis supra quinquies mille. Sic historia universa ne dimidiam quidem partem unius anni magni; neque multò plus, quàm tertiam ejus partem continet. In hac ego supputatione nunc acquiesco, quæ saltem proximè, & ut Geometræ loquuntur, *ὡς ἐγγύστα*, (*)

I i 3

ad

(*) Quàm vicinissimè.

ad id, quod verius est, accedit. Et licet τὸ λεπτόν, (*) ὡς Arithmetici vocant, notare, ac definire non possimus: tamen ἐν πλάτει, (**), ὡς Jurisconsulti ajunt, tenemus, quod quæritur: neque quorundam otiosam λεπτολογίαν (***) moror, qui frustrà se torquent, ubi non est necesse. Saltem menini, gravissimum illum scriptorem DIONYSIUM HALICARNASSÆUM, *libro septimo*, prudenter admonuisse, non esse quidem ferendum, si quis duabus, aut tribus ætatibus aberret in temporum supputatione: sed tolerabilem esse errorem, præsertim in Chronologia prisca, si paucis in annis fallatur. Denique hîc non erò morosior, quàm cum audio Mathematicos globum telluris metientes. Juvat verò, ὡς vastissimi hujus Circi, hujus dico terrarum orbis, quem historia sæpè percurreret, mensuram aliquam tenere: sic & temporis, quod emetiri quoque debemus, aliquos habere fines.

§. XXXVII.

Dixi itaque, quinquaginta quinque sæcula nobis proposita, atque perlustranda esse, universæ historiæ memoriam consecrantibus. Valeat eorum protervia, qui mirari se ajunt, tam pauca esse sæcula orbis conditi: & cur non multò antè ab æterno DEO conditus sit, non minùs otiosè, quàm curiosè quærunt: quasi
jam

(*) Subtile.

(**) Latè.

(***) De subtilibus sermonem.

quod agant
stivus (*) ait, no
tis temporum,
moveri.
non sint sæcula
& infinitus no
mbitus. Nos po
oplam cæli, & t
multa jam sæc
DEUS tot, tantæ
que delit, ut
complecti possit
gestæ sunt p
quingentos, in h
ambitus esse dic
Germani
maiores mathem
quod admiremur
Imò verò (clar
verendum sit, ne
& desperatio
operis infiniti. E
premeo, harum
historiarum mu
illæ omnibus ter
habent, quoc
mari, vel Oceano
habitatio. Terra
pars deserta? Q
habitatur in terra,

jam aliud, quod agant, nihil habeant. Rectè AUGUSTINUS (*) ait, non minùs perperam de immensis temporum, quàm locorum spatiis, quæstionem moveri. Ergo qui quærunt, cur infinita non sint sæcula, quærant etiam, cur immensus & infinitus non sit terræ, cælorumque ambitus. Nos potiùs admiremur, tam esse amplam cœli, & terræ magnitudinem, tamque multa jam sæcula effluxisse: quibus interea DEUS tot, tantasque res spectandas, cognoscendasque dedit, ut earum vix centesimam partem complecti possimus. Scilicet in iis, quæ acta, gestave sunt per annos quinquies mille, & quingentos, in hoc terræ amphitheatro, cujus ambitus esse dicitur 1400. maximorum milliarium Germanicorum (si nos non fallunt mensores mathematici) satis superque non est, quod admiremur, nósque occupet, & exerceat. Imò verò (clamant alii) nimium est: magis ut verendum sit, ne difficultas desperationem pariat, & desperatio abrumpat hæc studia tanquam operis infiniti. Ergo iterùmque iterùmque præmoneo, harum, quas persequi instituimus, historiarum multa esse compendia. Non enim illæ omnibus temporibus, omnibus in regionibus habent, quod agant. Vix versantur in mari, vel Oceano, in quo non est hominum habitatio. Terrarum quàm est magna rursus pars deserta? *Quàm raris & angustis in locis habitatur in terra*, ut ait CICERO, (**)

(*) Lib. II. de Civit. Dei.

(**) in Somn. Scip. Cap. 6.

Et in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastæ solitudines interjectæ sunt? Sed neque ubi, ubi habitatur, & magna hominum frequentia est, semper hæret historia. Denique & ubi multa hominum millia sunt, & civitatum multa sunt corpora, sæpè non nisi unum, aut alterum locum, vel oppidum, & in multitudine non nisi aliquot principes seligit: sic sese ipsa constringit, & angustissimis plerumque finibus includit. Sanè illorum, de quibus dixi, sæculorum parte priori, & quidem majori, quæ annorum plusquam tria millia continet, videmus in uno historiæ sacræ volumine, uniusque & gentis memoria, & regionis territorio, historiæ inclusam hærerere. Diu enim nos totos in illius suæ Reipublicæ admirabili conditione, facie, & forma contuenda, jam inde ab orbe condito defixos, DEUS detineri voluit: & interea, ne distraheremur, passus est, aliarum orbis partium memoriam veluti obsolescere: easque tanquam aut planè desertas solitudines, aut aquis, tenebrisve obrutas regionum vastitates latere. Interea itaque silent aliæ historiæ Græcæ, atque Latinæ, nisi si ludendo fortè quasdam poëticas fabulas aspergant; nostrum certè cursum minimè retardant. Tot tamen sæcula tam citò emensi, illud etiam jactare poterimus:

Maxima res effecta, vivi: timor omnis abesto.

Sed audio quosdam desidiosè exclamare? Quis non reformidet annos deinde consequentes,
præ-

certim illos mille
gentium, & Rer
logam, tam va
que sinuosam obj
enda dabunt, ut
loque immenso, t
unumquodque, & un
de, quàm desperat
curat? Imò ve
rerum humanar
explicatum &
in eo actus, et
est, propitius in
audire, illinc Ro
entes egunt admir
gravitate, & splen
purat, plenum,
& ad illum mod
modo ad togatar
circumduci: & u
que affluentium
multitudine ci
facit, in quo
audiendo aure
perdurant. Se

§. XXXV

potius vereor,
quàm vellemus
quàm fatiati simus
pulcherrimæ, & n
ne, & liberaliter

præsertim illos mille, qui aliarum toto orbe & gentium, & Rerumpublicarum historiam tam longam, tam variam, tam multiplicem, tamque sinuosam objicient, totque volumina evolvenda dabunt, ut tanquam in medio Oceano, eoque immenso, ubi (sicuti ait idem poëta) cælum undique, & undique Pontus, nihil aliud fortasse, quàm desperatio exhauriendi tanti operis, occurrat? Imò verò tum demum juvat, totum rerum humanarum amphitheatrum mirificè & explicatum & apertum contueri, & singulos in eo actus, cum ad Epitafin fabulæ ventum est, propiùs inspicere: atque hinc Græcos audire, illinc Romanos, qui suas profectò partes agunt admirabili & arte, & ingenio, & gravitate, & splendore. Tunc (inquam) demum juvat, plenum, refertumque circum videre, & ad illum modò, modò ad hunc chorum, ac modò ad togatam, modò ad palliatam scenam circumduci: & undique occurrentium, certatimque affluentium excellentissimorum Actorum, multitudine circumfideri: quæ id & dicit, & facit, in quo vel spectando intenti oculi, vel audiendo aures arrectæ lubenter, meritòque perdurant. Sed sessio longa fatigat. Audio.

§. XXXVIII.

Verùm potiùs vereor, ne citiùs historia talis desinat, quàm vellemus; néve illa priùs nos dimittat, quàm fatiati simus: si quidem & maximæ, & pulcherrimæ, & nobilissimæ res, quæ animos bene, & liberaliter institutos alliciunt,

rapiunt, retinent, nos delectent. Jam verò cum ad finem sensim accedentes, delabi nos sentiemus, ad patriæ & Reipublicæ nostræ, nostrorumque Majorum, atque adeò avorum memoriam: an quisquam erit tam studiosus, qui ab ea abhorreat? Fateor, tunc barbara, aspera, horrida multa occurrere. Sed occurrent etiam multa egregia, & præclara: & nimis ingrati essemus, si, cum tot laboribus aliena, procúlque remota eruimus, vel vicina, vel domestica negligamus. Primùm ergo per annos plus, quàm ter mille, & ducentos, tabulis Judaicis innixi, atque adeò affixi, res in una gente maximas, & planè divinas, Græcis etiam, & Romanis ignotas, contuebimur, sinè molesta jactatione placidum littus historiæ veluti legentes; deinde in altum passis, inflatisque velis proVecti, donec annos circiter mille conficimus, variè fortasse distracti, multisque libris circumfusi sæpè hærebimus. Postea verò non nisi mille, & trecenti anni supersunt, quibus ad nostrum sæculum properantibus (incurrrens licèt barbaries multos interea scopulos objiciat, tenebrásque sæpè offundat) portum tamen paulò post conspicientes exclamare lætâ voce poterimus illud vetus, γῆν ὁρῶ. (*) Ita est sanè historia, quæ quidem nobis relicta est, & qualiscunque illa est, quæ jam conflare potest, modò constricta festinat, & præceps angusto veluti alveo rapitur, modò distenditur, lentâque est,

(*) Terram video.

& diffusa lotè inu
 ra una in regione
 um transit, cum
 ostentare coepera
 ere patitur, & po
 um profert.

§. XI

Denique sæpe ann
 lenio quodam fe
 rgi, quasi hujus c
 erentur, modò
 e vicissitudine etfi m
 iam nostram utcur
 ne, quæ alioqu
 in medio cursu c
 vult factum est, t
 cederint, vel no
 crepabimur, quo
 videri possi
 (sicuti res ferunt)
 ut POLYBII verbo
 liberâ, & disjecta
 Romanae an
 torum prop
 sic & una, simple
 ουενικη και καθε
 verò, ubi plure
 rursusque postea
 effectum in plur

opon similis.
 cumentica, & unive

est, & diffusa latè inundat. Interdum etiam hæret una in regione & gente; & ad alterum primùm transit, cùm desiit altera. Interdum quam ostentare cœperat, aliquot deinde sæculis latere patitur, & postea eandem rursus in medium profert.

§. XXXIX.

Denique sæpe annos aliquot transfilit, atque silentio quodam sepultos præterit. Sic enim agit, quasi hujus orbis partes aliæ modò absorberentur, modò primùm emergerent: hæcque vicissitudine etsi multa supprimat, tamen memoriam nostram utcunque exonerat, atque sublevat; ne, quæ alioqui capere omnia non posset, in medio cursu concidat. Sic, quod acerbo casu factum est, ut multa monumenta vel interciderint, vel nos fugiant; damnnum esse interpretabimur, quod, si finem spectemus, compendium videri possit. Sed & interdum historia (sicuti res ferunt) magis est *σωματοειδής*, (*) ut POLYBII verbo utar: interdum magis est dispersa, & disjecta. Cùm ventum est ad Reipublicæ Romanæ amplitudinem: ut orbis Romanus totum propè terrarum orbem occupat, sic & una, simplèxque ejus historia, propè *οικουμενική και καθολική* (***) esse incipit. Antea verò, ubi plures monarchiæ sunt, & divisæ, rursusque postea, ubi illius Imperii corpus dissectum in plura iterum regna est,

histo-

(*) Corpori similis.

(**) Oecumenica, & universalis.

historia est alio modo multiplex: sicuti prospexit, prædixitque DANIEL, fore, ut Imperium Romanum divisum, tanquam corpus dissectum, desinat in plures veluti pedum digitos: aut fiat aliquod tanquam sinuosum caput, ex quo plura cornua emergant, & erumpant. Ut ut autem multiplicem faciem historia induat, fateor equidem longam esse (liceat iterum mihi ita loqui) fabulam, quæ jam inde ab orbe condito tot sæculis agitur in hujus mundi theatro. CICERO (*) scribens ad Luccejum, qui historiam rerum Romanarum scribebat, ait, ipsam quasi fabulam rerum, eventorumque suorum, habere varios actus, multasque actiones & consiliorum, & temporum. Quid nunc dixisset de universitate rerum gestarum? Itaque fateor iterum, multas hujus fabulæ esse scenas, multos actus, choros multos, multas parecchases, strophas & antistrophas multas. Denique fateor cum eodem tempore, tam variis, diversisque in locis, tam multiplices sive ludi, sive tragædiæ agantur, difficillimum esse, animo omnia illa complecti, & veluti in singula oculos intendere. Sed si & ordo, & modus adhibeatur, qui adhiberi debet: iterum confirmare ausim, nullam esse causam desperationis. Imò verò unam nihilominus esse historiam omnium earum rerum, quæ non tot annos ad recitationem, cognitionem, recordationemque requirant, quot annorum millia in ipsa actione consumum.

(*) *Lib. V. fam. Epist. 12.*

Subsistet
vel non lon
perveniet n
& inanibus ha
volet. Sed no
nullo m
patiar. Occ
illud dicam,

si sisse senel satis

immorari, ubi o
multa, diuque cor
le veluti urgebit
tas.

hæc illa sibi tempus

§. X

lo equidem, & fat
hincosorio, quo ab
nam quarundam
HOMERUS in *Aja*
vris mora, sessioq
na perlustranda
tudo rotum ter
in instituit. Salter
CICERONEM historia
que demum rem
est, dicere, histori
tendere eos histo
tatur: ut etiam T.

Lib. XIII. Cap

sumpserunt. Subsistet profectò in ipsis veluti
carceribus, vel non longè progredietur: certè
ad metam perveniet nunquam, qui in rebus
minutis, & inanibus hærere, atque ociosè im-
morari volet. Sed nostrum cursum talibus
impedimentis, nullo moræ pretio, retardari,
non facilè patiar. Occurrent fortasse multa,
de quibus illud dicam,

Nec vidisse semel satis est: juvat usque morari.

Sed ut immorari, ubi opus est, liceat, non est
alibi frustra, diúque consistendum, cùm nos
etiam ille veluti urgebit alter ejusdem poëtæ
versiculus.

Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit.

§. XL.

Scio equidem, & fateor, veteres etiam sæ-
pe historicos otio, quo abundant, abuti in ocio-
sa inanium quarundam rerum descriptione,
ut ludit HOMERUS in *Ajacis clypeo*. Sed eos,
quibus talis mora, festioque placet, tam de hi-
storia tota perlustranda nihil cogitare puto,
quàm testudo totum terrarum orbem perva-
gari non instituit. Saltem meminisse debue-
rant, CICERONEM historiam jocationi oppone-
re; eamque demum rem, quæ seria, gravis,
magna est, dicere, historiâ dignam esse. Sed
& reprehendere eos historicos, qui puerilia
consectantur: ut etiam TACITUS (*) non nisi
res

(*) *Annalib. Lib. XIII. Cap. 31.*

res illustres Annalibus mandari ait: & profite-
tur, sese non instituisse exequi sententias, nisi
infignes. (*) Denique MARCELLINUS, (**) *Hi-*
storiam (inquit) *per minutias ignobiles producere*
non decet. Idem alibi graviter monet, histo-
riam indagare non debere humilium causarum
minutias. Et verò SVETONIUS (***) TIBERIUM
Imperatorem non laudat, sed irridet, cùm ait,
eum maximè curasse notitiam historiæ (ut vo-
cant) fabularis usque ad ineptias. CAPITOLI-
NUSQUE rectè pronunciat, stultum & ridiculum
fuisse, historicum illum JUNIUM CORDUM, qui
etiam narrabat, quot servos, vel penulas, vel
chlamides quisque Principum haberet: & alio
loco eum reprehendens, scitè ait, eum hac ra-
tione libros mythistoriis replevisse. Mythi-
storiam appellat, quam SVETONIUS historiam
fabularem. Ergo ad illam sive Tiberianam,
sive Cordianam scholam fabellarum, ineptia-
rumque, potiùs quàm historiarum, eos rele-
gemus, qui otio, quo abundant, abusi, immo-
rari in talibus nugis volunt.

§. XLI.

Scio etiam multos, qui historiis operam
dare seriò videri volunt, unâ aliquâ earum
parte contentos, in ea, tanquam ad Syrenios
(ut ille ait) scopulos suaviter consenescere vel-
le. Sed quid tam suaves homines velint, nihil
moror.

(*) *Annal. Lib. III. Cap. 65.*(**) *Lib. XXII.*(***) *in vita Tiber. Cap. 70.*

Equidem m
etiam sæculor
tingi posse video
quando diei res
poni posse senti
ptores agunt, t
postea tanquam
cùm, quid singu
gestum sit, ce
eam diaria, & e
mos, posteaquã
ingenter descri
Deinde cùm ad sua
nactatur? Annos
libris complexus
et annos propè
postremò narrat g
in deserta solitu
paginis exponi
gestum fuisse
ingentis & sexagi
libris viginti
IV. annum Do
annorum plusquã
verò bello Ju
annorum non multo
pendit. Quàm f
postremis suis sep
sunt, historiam t
annorum triginta d
his tredecim ducen
annorum res gestas inc

moror. Equidem modò plurimum annorum,
 atque etiam sæculorum memoriam uno die
 perstringi posse video, modò unius, vel anni,
 vel aliquando diei res gestas, vix pluribus die-
 bus exponi posse sentio. Nam & ita clarissi-
 mi scriptores agunt, ut principio quasi sæcu-
 lares, postea tanquam annales historias confi-
 ciant, cùm, quid singulis vel sæculis, vel annis
 actum, gestum sit, confusè colligunt; tan-
 dem etiam diaria, & ephemerides producant.
 Ipse MOSES, posteaquàm primum illud hexa-
 meron diligenter descripsit, quàm valde festi-
 nat? Deinde cùm ad suam ætatem venit, quàm
 lentè cunctatur? Annos (ut dixi) MMCCCC.
 quinque libris complexus est: sed primo libro
 percurrit annos propè MMCCC. Quod
 autem postremò narrat gestum esse annis qua-
 draginta in deferta solitudine, multò pluribus
 verbis & paginis exponitur, quàm quod toto
 prius orbe gestum fuisse dicitur, annis bis mil-
 le, quadringentis & sexaginta. Sic & JOSEPHUS
 agit. Nam libris viginti ab orbe condito, us-
 que ad XIV. annum DOMITIANI historiam Ju-
 daicam annorum plusquàm 4000. pertexuit,
 postremo verò bello judaico describendo,
 quod annorum non multorum fuit, quinque
 libros impendit. Quàm fusè AMMIANUS MAR-
 CELLINUS postremis suis septendecim libris, qui
 soli supersunt, historiam suorum temporum,
 hoc est, annorum triginta descripsit, cùm prio-
 ribus libris tredecim ducentorum & quinqu-
 ginta annorum res gestas inclusit? DIODORUS
 profi-

profitetur se libris quadraginta historiam universam exponere. Ac quidem posterioribus libris triginta quatuor, jactat se historiam persequi à bello Trojano usque ad bellum Gallicum JULII CÆSARIS, quæ est annorum MCXXXVIII. Sed quid? Non nisi libros undecim occupat, ut ad ALEXANDRI MACEDONIS mortem perveniat, hoc est, ut annos circiter DCCC. complectatur. Reliquis igitur libris viginti tribus, non multò plures quàm trecentos annos attribuit. Dio libris octoginta (quos in Decades divisos fuisse scriptum est in SVIDÆ commentariis) historiam Romanam ab Urbe condita usque ad suam ætatem complexus erat. Sed cum prioribus suis libris triginta quatuor, qui jam interciderunt, historiam annorum plusquam sexcentorum & octuaginta perstrinxit, aliis deinde libris viginti quinque, qui soli nunc integri extant, non multò plures, quàm centum annos exponit. Denique & LIVIUS agit eodem modo. Prioribus suis libris decem (quam vulgo vocant Decadem primam) historiæ Romanæ annos CCCCLX. percurrit. Postea verò cum ad suorum temporum memoriam propiùs accedit: vix ac ne vix quidem singulos annos libris singulis explicat. Non excutio, cur suas aliquando historias vocavit Annales. Sed si Annales rectè dicuntur, meritò Annales Maximos dixeris, alià profectò ratione quàm Annales Pontificum. Quid? Ipsius (ut populariter loquar) Decadis primæ libro primo annos ab Urbe condita ducentos & quadra-

quadraginta quatuor
 libro vix annos
 cum librum
 er, quas res prior
 ut, esse res nimiã
 que magno ex int
 Ergo hic ego de
 vortuas ait de visu
 deo non omnino
 illa historia, quæ
 nobis cernitur p
 literata monur
 cur: hoc est, quæ
 gesta sunt, magis
 que aliis, qui conf
 potius, ab hist
 terre superficiem
 extat inter hon
 (sape dixi) inanir
 que modò contueo
 is in vere, alia in æ
 que dies, & lux exhib
 mo verò aliam au
 opiculum. No
 que vicissitudinem
 §. XLII
 igitur nunc dici
 primùm esse sacr
 am, civilem, & d
 & horridam vic
 & generalem divi
 præseribo. D

quadraginta quatuor persequitur. Secundo verò libro vix annos quadraginta includit. Ac quidem cùm librum sextum aggreditur, confitetur, quas res prioribus libris quinque perstrinxit, esse res nimiâ vetustate obscuras, velut quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur. Ergo hîc ego de historia dicerem, quod ARISTOTELES ait de visu, & ejus vi, atque natura. Sed video non omnino jam id dici nunc posse. Nam illa historia, quæ veluti media est, liquidius à nobis cernitur propter illustrium scriptorum literata monumenta, quàm quæ est posterior: hoc est, quæ annis mille ab Urbe condita gesta sunt, magis perspicere possumus, quàm quæ aliis, qui consecuti sunt, annis mille. Dicerem potiùs, ab historia nobis, ut à Sole, ostendi terræ superficiem; quidque in hac superficie extet inter homines. Prætereo jam res (ut sæpe dixi) inanimatas, brutas, mutas: Humanas modò contueor. Alia est terræ superficies in vere, alia in æstate, alia in hyeme: aliâque dies, & lux exhibet, aliam nox, & caligo: imò verò aliam aurora, aliam meridies, aliam crepusculum. Non dissimilem varietatem, atque vicissitudinem historiæ esse sentio.

§. XLII.

Quid igitur nunc dicimus? Soleo dicere, historiam primùm esse sacram, & brevem: deinde sacram, civilem, & diffusam: postremò barbaram, & horridam videri. Hanc enim summam, & generalem divisionem tripartitam initio mihi præseribo. Deinde singulis illis

partibus, quæ tres sunt, subdivisionem aliam quoque tripartitam subjicio; ut jam universam historiam in partes novem distinguam: iterumque singulas (nam ita res ferunt) in tres subdivideo, & viginti septem efficio: totidemque veluti summa capita, quæ in singulis eminent, & in quibus potissimum consistendum est, memoriæ causâ noto, hoc est, singulis ascribo suum tanquam ducem imprimis nobilem, & illustrem: ut & in scena non solum Prologus argumentum recitat, sed & personas, quarum præcipuæ sunt partes, prius ostentat, atque nominat. Sed meæ partitiones rationem, & fines res ipsa magis exponet. Interea profiteor, me aliis non præjudicare, si quis malit vel eam sequi, quæ ex schola *ELLÆ* Prophetæ recitari solet, tripartitam divisionem 6000. annorum mundi: vel ex *DANIELIS* visionibus historicis, & summorum quatuor Imperiorum figuris, atque imaginibus, quadripartitam historiæ delineationem observare, vel aliam, quam volet, partitionem fingere: non enim ignoro variè id fieri, & utiliter posse. Sanè *PLUTARCHUS* (*) narrat, & ad Senatum quoque Romanum aliquando ante civile bellum *Marii*, & *Sullæ* relatum fuisse significat, Vatum in Hetruria collegium ex veteri sua disciplina docuisse octo mundi mutationes, ac veluti ætates à *DEO* decretas esse: singulisque illis rerum conversionibus alios planè homines, alios mores,

novum-

(*) in *Sulla*.

atque vitæ genu
periodus instat, ill
origo eam notari,
quidem illis
divinitus esse
tamen finem c
amo magno. (

§. X
superest ut ad ipsu
universæ, quod
minisque primum
teari, in quod in
quæ narrat
hominis, qui i
formus, conditio
visionem, imprim
tus hic hæere
efficiet, qui orige
quidamque indi
ARISTOTELIS aut
intelligeret, que
visione mundi, S
clamavit, fabu
fabulis Aegypti
ut, *μυθικὴν εἰσα*
ἀποστολὴν εἰς κρο
quam hujus, ne

fabulandi esse t
acceptam.

novumque vitæ genus fore: cumque nova veluti periodus instat, illustri aliquo signo, atque prodigio eam notari, atque denuntiari. Ac singulis quidem illis ætatibus præscriptum quoque divinitus esse tempus certum: sed omnium tamen finem concludi, atque comprehendendi anno magno. Quid illi sibi vellent, neque satis scio, neque ipsi fortassis dicere satis potuissent.

§. XLIII.

Supereſt ut ad ipſum veluti proëmium hiſtoriæ univerſæ, quod continet hiſtoriam orbis, hominisque primùm conditi, accedamus, ut & theatri, in quod ingredimur, & in quo geſta ſunt, quæ narrare inſtituimus, ſtructuram; & hominis, qui in eo illud agit, quod audituri ſumus, conditionem, & naturam, tanquam perſonam, imprimis conſideremus. Ne verò diutius hîc hæſere cogamur, unus ſtatim MOSES efficiet, qui ORIGENES, quas quærimus, breviter, liquidòque indicat. Valeat SIMPLICIUS ille, ARISTOTELIS antiquus interpres, qui cum non intelligeret, quod noſter MOSES narrat de creatione mundi, Solis, lucisque, olim furioſè exclamavit, fabuloſam eſſe narrationem, & ex fabulis Aegyptiis tractam, atque repetitam: ait, *μυθικὴν εἶναι παράδοσιν, καὶ ἀπὸ μύθων Αἰγυπτίων εἰληκυμένην.* (*) Nihil facilius eſt, quàm hujus, non dicam Cenſoris,

Kk 2

ſed

(*) Artem fabulandi eſſe traditionem & à fabulis Aegyptiorum acceptam.

sed potius nugatoris vanitatem refellere. Sed
 faceffat. Valeat etiam GALENUS, qui, quod
 religiosè MOSES narrat de creatione hominis,
 fastidiosè respuit, improbè cavillatus MOSES
 (ut pro sua medica sapientia loquitur) διατρι-
 βὴν εἶναι ἀναπόδεικτον. (*) Atqui PLATO, & alii
 cordati Philosophi, cum discere vellent rerum
 conditarum principia, non alium sibi docto-
 rem, vel magistrum delegerunt, quàm MOSEM,
 cujus narrationem legebant in libris MERCURII
 TRISMEGISTI, Aegyptii. Nam neque se eos
 legisse PLATO dissimulat, & descriptos fuisse ex
 MOSES libris res ipsa loquitur, si verba TRIS-
 MEGISTI, quæ etiamnum extant apud nostrum
 CYRILLUM *contra Julianum*, conferamus cum
 oratione Mosaïca. Denique quicumque in
 Græcia sapuerunt; ut hisce de rebus audirent
 serium aliquid, propiùsque tanquam ad lumen
 accederent, & veritatis vestigia consectarentur,
 navigarunt in Aegyptum. Non audeo dicere,
 eos legisse libros MOSES: nam multis post tem-
 pora PLATONIS primùm fuerunt in linguam
 Græcam translati. Sed MERCURII saltem com-
 mentarios legere potuerunt: & Sacerdotes
 Aegyptios, qui MOSEM ipsum legerant, audie-
 runt, iisque auditis, non modò, quos appella-
 bant alioqui barbaros, esse Græcis antiquiores,
 doctiorésque agnoverunt; sed & Græcorum
 esse magistros ingenuè confessi sunt: neque
 non laudarunt illam Sacerdotis Aegyptii incre-
 patio-

(*) Doctrinam esse, quæ demonstrari non potest.

orem, qui (sicuti
 dicit, Græcos nihil
 res enim antiqua
 Diodorus, cum
 se, se propterea
 alexandrina biblio
 quæ (*) excuffi
 minus illi igno
 colligenti.
 Mosis libri
 conversi Alex
 Quod tamen
 atinet, propiùs
 interpretum cum
 conferre priv
 propterea Eue
 affuit. Qu
 philosophos Græ
 expresse,
 & hominis
 fuit quidem mul
 materiam non
 que phantasia
 occupavit. Se
 bellendam liber T
 Ego conten
 mento, qui ad He
 quem cernim
 K k 3
 laria.
 Dissertationes de An
 Preparat.

pationem, qui (sicuti PLATO refert) SOLONI re-
 spondit, Græcos nihil aliud esse, quam pue-
 ros: res enim antiquas eos ignorare. Quid?
 Ipse DIODORUS, cùm historiam scribere insti-
 tuisset, sese propterea in Aegyptum trajecisse,
 & Alexandrinæ bibliothecas, atque Sacerdo-
 tum ἀρχεῖα (*) excussisse narrat. Sed tantò
 propterea minus illi ignosco fabulosas ἀρχαιο-
 λογίας (***) colligenti. Potuit enim, ut pro-
 fectò debuit, Mosi libros, qui tunc in linguam
 Græcam conversi Alexandriae adseruabantur,
 legisse. Quod tamen ad rerum creationem
 primam attinet, propiùs ad eos accedit: est-
 que operæpretium cum iis, quæ MOSES prin-
 cipio tradit, conferre primas paginas DIODORI:
 quas & propterea EUSEBIUS suis libris πα-
 ρασκ. (***) affuit. Quid dicam, ipsos non
 modò Philosophos Græcos, sed & poëtas Ro-
 manos, propè expressisse, quod MOSES de crea-
 tione mundi, & hominis literis Hebraïcis nota-
 verat? Fuit quidem multorum stupidus error
 dicentium materiam non fuisse creatam, sed
 æternam: quæ phantasia multos quoque olim
 hæreticos occupavit. Sed extat nervosus ad
 eam refellendam liber TERTULLIANI *adversus*
Hermogenem. Ego contentus essem unico Apo-
 stoli argumento, qui ad Hebræos scribit, mun-
 dum hunc, quem cernimus, conditum esse

K k 3

μὴ

(*) Tabularia.

(**) Dissertationes de Antiquitatibus.

(***) Preparat.

*Et liquidi simul ignis : ut his exordia primis
 Omnia, & ipse tener mundi concreverit orbis.
 Tum durare solum, & discludere Nerea ponto
 Cæperit, & rerum paulatim sumere formas.
 Jámque novum terræ stupeant lucefcere Solem :
 Altiùs atque cadant summotis nubibus hymbres :
 Incipiant sylvæ cùm primùm surgere, cùmque
 Rara per obscuros errent animalia montes.*

§. XLIV.

Uberior in hoc genere est OVIDIUS, qui non modò mundi, sed & hominis expressam creationem ita describit in sua Metamorphosi, ut, quod ad rerum primam conformationem attinet, videatur poëta Latinus, planèque alioqui profanus, non solùm diligenter legisse, sed & eleganter exprimere MOSEN voluisse. Versus illius recitarem, nisi si & longiores essent, & essent vulgò satis decantati, & aliò properarem tam valde, ut & illustrissimas hac de re Græcorum sententias cum MOSE consentientes nunc lubenter præteream. Nam & hæc multò rectiùs, veriùsque MOSES noster: qui duplicem (ut ita dicam) creationem mundi describit: priorem materiæ, alteram (si nunc ita mihi loqui licet) formæ: cùm quidem illam priorem (ut dixi) Ethnici propè omnes ignorarent, qui chaos, quod vocant, semper fuisse fingunt. MOSES ergo narrat, DEUM imprimis creasse materiam: & quidem terram cum aqua confusam, cæcam, & informem.

Deinde cùm formam, tanquam expolitionem hujus operis confestim adderet, ex illis duobus, & prioribus elementis veluti elicuisse alia duo elementa; & hisce jactis fundamentis, terrestrium, cœlestiumque rerum, quæ sunt inanimatæ, perfectionem extruxisse diebus quatuor. Mosis narratio cùm distinctè singula exponere vult, dies numerat. Sed habet eadierum enumeratio aliquid obscuræ difficultatis, nisi si de hoc toto opere loquimur, cogitemus sicuti Jurisconsulti scitè ajunt, *ἔργον καὶ ἀποτέλεσμα*. (*) Ego hoc (ut vocatur) hexameron soleo partiri in duas modò partes: & priori quatrimum, creationi nempe rerum inanimatarum: posteriori verò, hoc est, creationi animalium omnium, bîdium adscribo. Quod attinet ad res inanimatas, discerno inferiores, nempe infra Lunam, quæ elementis constant, & corruptioni naturali sunt obnoxia, ab superioribus, quæ puræ, & simplices sunt. Sed cùm hæ crearentur, illas quoque compositas esse audio. Ergo quatrimum factum esse simpliciter dico, ut discussis tenebris, & aquis subductis, terraque exsiccata, stirpibusque velut vestita, & aëre, ætheréque educto, Luna conglobata, Sole lucente, planetisque reliquis vagantibus, & cœlo firmato, stellisque infixis, effecta sint, quæ sunt utriusque hujus orbis terrestris, & cœlestis. Atque hîc quidem MOSES præcipuè nobis commendare videtur usum, & observationem Solis, & Lunæ, propter originem

*) Opus & eventus.

& cognitionem
no, quàm id sit
perfectò duo ma
isque & admirat
præcipuè observe
globum. Ter
Oceanum comp
e enim nunc utar
Ethnicis peter
tam, & undiqu
nglobatam: dei
no terram appete
et duabus constara
stendunt ipsarum
no libratam, & f
negotiatore suis
ad, ut qui ol
nes, nunc nostris
omnis Scipionis C
mi sede semper
ca mundi locum.
os disputare, illam
miserat, centru
a primo suo loc
Hujus globi an
erentiam, veteres
tate, ut PLENIUS of
§. XL
hodie mensur
quinquies mille &
K k
II. de nat. Deor.
5.

nem, & cognitionem temporum. Neque non sentio, quàm id sit necesse in historia. Sunt illa profectò duo magna corpora cœlestia, imprimisque & admirabilia, & aspectabilia. Sed hîc præcipuè observemus terrium, qui est telluris, globum. Terram cùm dico, infusum etiam Oceanum comprehendo. Ipse CICERO (*) (hoc enim nunc utar potissimùm auctore, si quid ab Ethnicis petendum sit) ait, terram esse globosam, & undique ipsam in sese nutibus suis conglobatam: deinde addit: ipsum autem mare sic terram appetens littoribus claudit, ut una ex duabus conflata videatur. Globosam esse ostendunt ipsarum Eclipseôm causæ. Esse in medio libratam, & suspensam, ambiendo nostri negotiatores suis navigationibus demonstrarunt, adeò, ut qui olim fabulosi putabantur antipodes, nunc nostris sint familiares. CICERO in *Somnio Scipionis* (**) ait, terram immobilem imâ sede semper manere, complexam medium mundi locum. Scio, quosdam nunc subtiliùs disputare, illam non omnino nunc esse, quod olim fuerat, centrum universi; quasi dimota sit à primo suo loco, & situ. Sed id alii viderint. Hujus globi ambitum, & (ut vocant) circumferentiam, veteres etiam suo modo dimensi sunt, ut PLINIUS ostendit.

§. XLV.

Nostri hodie mensores Mathematici numerant quinquies mille & quadragenta millia

K k 5

ria

(*) *Lib. II. de nat. Deor. cap. 39.*

(**) *cap. 5.*

ria magna Germanica. Audax in dimensione definitio. Sed aliquam tamen habet demonstrationem. Videat modò mensor (ùt Jurisconsulti ajunt) ne falsum modum dicat. Certè hunc globum, quem tanquam fundum nostrum calcamus, & in quo historia, quam persequi instituimus, consistit, oportet nobis utcunque notum esse. Sed bene habet, nunc Geographiæ, & Cosmographiæ eam esse lucem, ut eum veluti spectandum in tabula offerat, & propè manu tenendum tradat. Nihil dicam de Principum imaginibus, quæ orbem tanquam pilam manu gestare se fingunt: quasi essent, qui dicuntur, *κοσμοκράτορες*. (*) Memini, quod PROCOPIUS narrat, tale quippiam olim affectum fuisse statuæ JUSTINIANI nostri. Sed sacrae literæ id potiùs adscribunt majestati DEI conditoris, & summi Principis, atque Monarchæ, quem non solùm terram uno digito versare, sed & universum mundum, tanquam pugno comprehensum, librare ajunt: & coram quo mundus totus vix sit tanquam una gutta roris. Interea quantus sit orbis terrarum, Geographia utcunque, ùt dixi, ostendit, & eum nobis scitè depictum exprimit, atque contuendum dat. Multas hujus globi partes fateor esse desertas, & incultas, in quibus historia non consistit. Sed nonnullas, quæ olim indicabantur inhabitabiles, inhabitari nunc compertum est. Sic & auctus est historiæ campus: & hæc ætas in Geographia multis modis superat antiqui

(*) Mundi Rectores.

Quæ
graphiam supe
Lunæque g
reando, & cu
reando, non i
um, quàm ver
nem, inter
olim ju
Solent, Solen
(*) Sed
Solis magni
operari: ùt d
Lunà esse m
ex excellere,
autuatores (*)
que olim esse
CICERO. (*)
quod ha
Solent, Soler
quod ut abs t
e mille & qu
quantum
multi telluris
ita quiden
que sæcula
qui hæc dicu
certè r
dicunt: & quis
fit natural

De fin. lib. I. cap
Aliquid, quod
De nat. Deor.

tiquitatem. Quod ad reliquam attinet Cosmographiam superiorem: in cœli ambitu, & Solis, Lunæque globo, atque etiam intervallo, dimetiendo, & cum terra, certâ proportione, conferendo, non minor nostrorum Mathematicorum, quàm veterum, audacia est. Sed non est meum, inter eos tantas componere lites. Rectè sanè olim iudicatus est EPICURUS furere, cùm diceret, Solem esse bipedalem, ut narrat CICERO. (*) Sed ipse CICERO tantùm infinitè dicit, Solis magnitudine multis partibus terram superari: ut & PLINIO satis est, probasse terram Lunâ esse majorem. Possent videri nostra ætas excellere, quòd sphaeram universi etiam *αὐτόματον* (**) effinxerit. Sed factum id quoque olim esse ab *Posidonio* suo familiari testis est CICERO. (***) Novum magis est, & admirabile, quod hac ætate quidam observasse se confirmant, Solem indies ad terram devertere, adeò ut abs tempore PTOLOMÆI, annis circiter mille & quadringentis, descendendo confecerit, quantum assurgendo conficere non possent multi telluris globi simul aggesti, & accumulati: ita quidem, ut, si deinceps ita vergat, intra quinque sæcula terram conflagrare necesse sit. Si, qui hæc dicunt, possunt, quod jaçant, demonstrare; certè rem magnam, & admirabilem dicunt: & quis tandem historiæ universæ futurus sit naturalis finis, prædicunt. Superest

(*) *De fin. lib. I. cap. 6.*

(**) Aliquid, quod fortuitò evenit.

(***) *De nat. Deor. lib. II. cap. 34.*

perest reliquarum rerum, quæ animatæ sunt, creatio. Dixi, biduum postremum huic impensum esse. Ac priùs quidem brutas, mutasque animantes, quæ in terra, mari, aëre sunt, DEUM creasse scribit MOSES: tandem verò sexto die illud excellentissimum animal, quem Hominem appellamus. Sed de hoc priusquam dicamus, in quo & parvus quidem mundus inesse dicitur: fortasse quæsierit historiæ hujus ordo, & ratio, qua in parte anni existimemus mundum esse creatum. Dico esse probabile, quod veteres Christiani crediderunt, & olim in quadam Synodo Cæsariensi scitè definitum fuit, fuisse vernum æquinoctium. Nam & MOSES in eo primum mensem collocat: qui mensis nostro Martio respondet. Olim Romani Urbis suæ diem natalem Parilibus celebrabant ex A. D. XI. Kal. Maji. Nos mundi natalem multò magis nunc observemus. De cujus mundi ordine, ornatu, majestate præterea quid dicam? Nunquam dici ea de re fatis poterit, quod debet. Sed quicquid potuit, dictum, scriptumque ab aliis est diligenter. Itaque ineptus, nimumque ociosus essem, si hanc descriptionem nunc suscipiam. Illud tantum breviter dicam: cum ad DEI cognitionem aspiramus, minimè nos hoc mundi speculum (ut Apostolus vocat) negligere debere. Sed in eo, tanquam medio itinere, minimè consistendum esse, cum ad ipsum conditorem assurgere, atque penetrare debemus: qui nec temerè vocatus primùm est, nec frustra vocari voluit,

luit, *Deus, qui creavit cælum & terram.* Jam verò, etsi præteream multa, quæ de hac mundi conditione, & constitutione & rectissimè scripta sunt (nunquam enim alioqui ad eam, ad quam propero, historiam aggrederer) saltem Psalms, quos olim Spiritus S. eo nomine dictavit, sæpe in ore habeamus. Sed & magis atque magis nos inflammare potest, atque debet, quod nunc dicendum est, de hominis creatione, quâ DEUS suum (ut vocant) hexameron, veluti absolvit, atque conclusit. Audivimus, qualem, quantàmque diebus quinque, veluti domum extruxerit, atque etiam instruxerit. Nunc qualem dominum & incolam immiserit, audiamus. Ipsi etiam Ethnici senserunt, mundum hominis causâ creatum esse. De hominis ergo creatione tandem videamus.

§. XLVI.

Constat is corpore & animo. Corpus ex humo primùm DEUS affinxit eâ formâ, quam videmus. Deinde animum illi inspiravit. Equidem hîc non minùs obstupesco, quàm cum intueor mundum. Sed aliquid tamen delibandum est. Corporis fabricam, & harmoniam multi scitè descripserunt, & omnes meritò admirati sunt, tanquam præcipuum, & excellens DEI opificium. Mitto eos, qui imaginati sunt, quandam non dissimilem faciem in Luna antea impressam fuisse, sicuti disputat PLUTARCHUS in *Symposiacis*. CICERO in *libris Academicis* (ut ex quodam eorum fragmento didici) meminit quidem horum lineamentorum

rum Lunæ: sed eo exemplo utitur, cùm probare vult, multa nostris & oculis, objici & sensibus videri, quæ tamen nulla sunt.

§. XLVII.

De hominis animo quid dicam? MOSES ait, DEUM creasse hominem ad imaginem suam. Lucebat certè in Sole, atque adeò in universi mundi mole & compage, non obscura DEI imago. Sed in homine, & ejus præsertim animo, expressa quædam fuit melior, veriòrque effigies DEI. Hoc & olim Philosophos sensisse, & ipsum CICERONEM utcumque dixisse audio. Sed sacræ literæ id liquidius describunt, cùm de nobis, in quibus deleta quodammodo est hæc imago, in integrum restituendis, renovandis, atque instaurandis loquuntur: & in CHRISTO, qui alter veluti ADAMUS propterea dicitur, qualis illa sit, ostendunt, ut ad ejus formam revocati, fiamus homines novi, vel (ut loquuntur) induamus novum hominem, qualis primum conditus fuit. Jam verò si, quæ in nostra corruptione supersunt extrema veluti lineamenta (ut AUGUSTINUS vocat) imaginis divinæ, tam Philosophis visa sunt admirabilia, ut hominem propterea dicerent quendam esse DEUM: quid nos de imagine integra, & perfecta dicemus?

§. XLVIII.

Sanè cùm DAVID noster reputat, quibus hominem creatum facultatibus, & beneficiis cumularit DEUS, attonitus propè obstupescit.

Ait

Ps. VIII.

Ps. XLIX.

Ait (*) sese in mundi creatione contemplari, quàm sit admirabilis DEUS: sed se multò magis mirari effusam DEI bonitatem in hominis conditione. Quid enim? Hominem à DEO ita conditum, & ornatum esse, ut sit quasi DEUS. Rectè sanè. Sed in alio Psalmo, (**) tantò magis detestatur ingrati hominis plusquàm belluinam vecordiam: & propterea quem ut DEUM aliàs attollit, postea tanquam brutum animal dejicit. Ethnici hæc non intelligunt. Interdum hominis conditionem laudant, & admirantur, perinde atque si ille etiamnum esset, & permansisset, qualis primùm fuit: interdum ejus imbecillitatem, & miseriam, quasi in ea primum fuerit creatus, deplorant: audèntque dicere, hominem non tam à DEO Patre, quàm abs noverca natura editum esse. Utrumque profectò, improbè, & intemperanter faciunt, ac dicunt. Discernere enim oportuit primam conditionem à corruptione. Sic autem valde est utile, nos historiam aggressuros cognoscere qualis sit hominum, natura, quale ingenium, quales affectus. Nam hæc cognitio nos veluti præmonet, qualem historiam deinceps expectare potissimùm debeamus. Sed tantò magis meminisse nos oportet, nobis rem fore cum hominibus, non ejus conditionis, in qua creatus primùm ADAMUS fuit, sed ejus, quæ peccatum est consecuta.

Nam

(*) *Psal. VIII.*

(**) *Psal. XLIX.*

Nam posteritas ab homine jam corrupto traxit originem. Porro MOSES addit alterius hominis, hoc est, fœminæ, novam, & admirabilem fuisse compositionem, quæ ad absolvendum genus humanum, tanquàm pars altera, accessit. Ac PAULUS hinc elicit singulares quasdam observationes, quæ hanc historiam mirificè commendant, & illius usum illustrant: & quòd vir ante fœminam creatus sit, quòdque ex viri ossibus fœmina sit efformata, maximarum rerum significationem esse ostendit. Est autem cum utriusque hominis creatione conjuncta ipsius conjugii sacrosancta institutio: utque, quàm arctum sit hoc vinculum, magis intelligatur, jam tum ea illi lex dicta est, quæ virum uxori suæ potius, quàm parentibus adhærere jubet, & utrumque veluti in unum corpus coalescere. Hinc autem quid MALACHIAS Propheta, quid ipse CHRISTUS, quid denique PAULUS Apostolus colligat, observandum etiam erit. Cum conjugii deinde ratione conjunctum est domicilium, quod primis illis conjugibus DEUS veluti ἐπισημόν, (*) amænissimum in hoc orbe terrarum, tanquam in vasta quadam civitate pulcherrimum palatium dedit, eodem, quo creati sunt, die. Et quidem (quod in historia imprimis observandum est) MOSES indicat fuisse certum in Mesopotamia locum irriguum, quem illi incolere jussi sunt. Veteres Christiani Persicâ voce appellarunt
Para-

(*) Loci Curator.

Paradisum: qua voce XENOPHON in *Oecon.* indicat, vocatos propriè fuisse hortos Regum Persicorum. CICERO in *Catone*, (*) interpretis XENOPHONTIS, dixit agrum consecutum, diligenter consitum. In Sybillinis, quos allegat LACTANTIUS, versibus, ubi de hoc ADAMI domicilio agitur, legimus παράδεισον, ἐριθήλεα κήπον. (**). Neque verò procul à Persidis finibus situs fuisse videtur ille ADAMI paradisus, quem MOSES non simpliciter, aut confusè notat in Oriente fuisse, sed indicat fuisse in Mesopotamia ad confluentes aut ripas eorum fluminum, quæ ab aliis scriptoribus appellari videntur Tigris, & Euphrates, quos quidem fluvios apud Babylonem confluere, & coire, deinde rursus divisis alveis in mare Persicum effundi, ex STRABONIS, & PLINII descriptione etiam intelligimus. Fuisse itaque paradisum non procul ab ea regione, in qua postea condita est Babylon, statuamus: & multa, quæ de eo interpretes allegorici finxerunt portenta, fugiamus. Amœnitatem fuisse denique cogitemus maximam, qualem neque insulis fortunatis, neque suis Tempe Thessalicis affingere Veteres possunt. Omitto, quod PLUTARCHUS in *Sertor.* & alii tradiderunt de illis insulis. Notiora sunt Tempe: qui fuit veluti quidam Thessaliæ paradisus. AELIANUS (***) scitissimè descri-

(*) *Cap. 17.*

(**) Paradisum, valde virentem hortum.

(***) *Histor. Lib. III. Cap. 1.*

describit amœnissimum illum locum, quem & Penæus amnis, & aliquot alii fluvii confluentes alluunt: aitque, non humanâ esse manu confitum, sed jam inde ab initio γενέσεως (*) fuisse admirabile opus naturæ, αὐτομάτως εἰς κάλλος (ut ait) τό τε φιλοτιμησαμένης. (**). Addit & religioni veluti consecratum fuisse locum, quasi lucum dixeris. Quia Paradiso in Mesopotamia, ut ADAMO pulso, sic & aliis deinde hominibus interdictum fuit: saltem aliquam ejus umbram in illis Tempe videre posteritas potest. Homini in illis amœnissimis sedibus collocato & deliciis alioqui omnibus affluentem, DEUM pomi cujusdam esu interdixisse, MOSES ait. Fuitque hæc prima & unica abstinentiæ, atque obedientiæ lex, homini data: cujus quidem legis &, ratio & sanctio expressa quoque fuit.

§. XLIX.

Cùm hæc, quæ jam dixi, die sexto acta, perfectaque essent, MOSES narrat, DEUM die septimo conquevisse, eumque diem veluti consecrasset quieti. Quod quidem exemplum ex hac sua historia repetitum multis post sæculis etiam laudavit, cùm suam legem ferret de Sabbato, hoc est, de corporali quiete diei septimi: qui singulis hebdomadibus esset feriatum, ut totus rebus sacris vacaret. Sed & *Epistolâ ad Hebræos* aliud ex hac historia mysterium elicit. Age verò, en vir unus, & fœmina una in

toto

(*) Creationis.

(**) Sponte in pulcritudinem inclinantis.

toto terrarum orbe. Videndum nunc est, ecquid agatur. Non enim semper feriari jubentur, minimèque fuerunt ociosi, cùm mirabilis semper hominum fuerit πολυπραγμοσύνη. (*) Non possunt tamen multæ, variæque, ubi tantari homines sunt, actiones nunc occurrere. Erat certè totus orbis ita paratus, ut nihil præter incolas, & inquilinos deesset: sicuti quædam insulæ nuper in Oceano repertæ sunt, amænissimæ quidem, sed alioqui desertæ: in quibus arbores, plantæ, aves, pecudes multæ: sed homo nullus, hominùmque vestigia nulla. Verùm humanam solùm historiam nunc requiramus. Neque tantùm disputamus, quid homo à DEO creatus agere debuerit: sed quid egerit, præsertim suo libero arbitrio relictus, quærimus: ut cùm in scenam Roscius aliquis prodiit, attoniti spectamus, ecquid acturus sit. CICERO (**) *sunt (inquit) è terra homines, non ut incolæ, atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum, atque cælestium: quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet.* Majus quippiam est, quod EPICETUS apud ARRIANUM non minùs scitè dixit: ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον θεατὴν εἰσήγαγεν αὐτῷ τε καὶ τῶν ἔργων αὐτῷ, καὶ οὐ μόνον θεατὴν, ἀλλὰ καὶ ἐξηγητὴν αὐτῶν. (***)

L 1 2

§. L.

(*) Sollicitudo de variis rebus.

(**) *de Nat. Deor. Lib. II. Cap. 56.*

(***) Deus hominem introduxit contemplatorem suū, & operum suorum, & non tantùm contemplatorem, sed etiam narratorem eorum.

§. L.

Ego verò longiùs etiam progredior, & quod principio hujus orationis dixi, nunc in conclusione repetam, hominem esse à DEO creatum, & in hoc mundo collocatum non modò ut spectator & interpretes sit, sed etiam ut sit actor. Deinde ut non solùm rerum à DEO creatarum, sed & multò magis actionum inter homines, & cum hominibus transactionum spectator sit. Hinc historia, in quam nunc ingrediendum est.



FRAN-

FRANCO

R

EGATIO

CLARISS

JOANN

ZAMO

LEGATU